Pindar
Noack, Th.
Pindari carmen Nemeaeum...
interpretatus est Th.Noack.

PROGRAMM

des

Königlichen und Stadt-Gymnasiums zu Cöslin

womit

zur öffentlichen Prüfung am 12. April

ehrerbietigst einladet

Dr. F. Röder,
Director.

Inhalt: 1) Piudari carmen Nemeaeum interpretatus est Th. Noack, Dr. phil.
2) Jahresbericht des Directors.

Cöslin 1867.
Gedruckt bei C. G. Hendess.

Die erste nemeische Ode Pindars.

Strophe I.

Alpheus' heil'ge Ruhestatt,
Ortygia, du Stolz Syrakusa's und Schmuck,
Wiege der Artemis einst,
der Delos Schwester, freudig beginn' ich mit dir
meines Liedes süssen Klang,
sturmfüss'ger Rosse Verherrlichung singend, Zeus dem Aetnahort zum Preis;
denn Nemea treibt mich und Chromios' Kampf, thatenreichem Siegeskranz zu weih'n den festlichen Gesang.

Gegenstrophe I.

Den Grund hat Götterhuld gelegt,
und jenes Mannes treffliche Tugend dazu.
Ruht doch in seligem Glück
des höchsten Ruhmes Gipfel: gewaltigen Kampf
kündet gern der Muse Mund.
Schmücke mit strahlendem Glanze das Eiland, das vom Herrscher des Olymp
Zeus empfing Proserpina: Jener verhiess neigend ihr das lock'ge Haupt, der Saaten Preis

Epodos I.

Siciliens grünende Flur zu krönen mit gesegneter Städte Gemäuer, hochgethürmt.
Ferner gewährte Kronion ein Volk ihr, froh des erzgewaffneten
Kampfes, rossetummelnd zugleich und gekrönt mit des golddurchwebten Oelzweigs Kranz zur Feier
Olympia's. Vieles durchlief truglos ich zur rechten Zeit.

Strophe II.

Da steh' ich an dem Vorhofsthor
Des gästeholden Mannes mit süssem Gesang,
wo mich das treffliche Mahl
in reicher Pracht erwartet: auch Fremdlinge nimmt
dieses Haus ja gastlich auf.
Ihm ist's vergönnt, in der Trefflichen Fluth zu löschen schwarzer Tadler Brand.
And'rer Kunst bedienen sich And're, doch Pflicht ist's, auf graden Wegen wandelnd eig'ner Kraft im Kampf vertrau'n.

Gegenstrophe II.

Denn Stärke fördert rasch die That,
die Pläne Einsicht, wem in die Zukunft den Blick
lenkte ein günst'ges Geschick.
Agesidamos' Sprössling, in deiner Natur
einen beide Gaben sich.
Nimmer begehr' ich, im weiten Palast zu bergen reich gehäuftes Gut:
Glück und guten Ruf nur bei mäss'gem Besitz möcht' ich mit dem Freunde theilen, denn die gleiche Furcht bewegt

Epodos II.

mühebelad'ner Männer Herz. Auf Herakles richte ich gern meinen Sinn,
Kunde erweckend vergangener Zeit, der Trefflichkeit zum hohen Schmuck.
Als er kaum hervor aus der Mutter gebärendem Schooss zum goldnen Licht der Sohn des Zeus
der Wehen Schmerz fliehend, gepaart seinem Zwillingsbruder ging,

Strophe III.

wie Hera's Blick auf goldnem Thron
er nicht entging, in purpurne Windeln gehüllt.
Grollenden Zorn im Gemüth
entsandte da die Herrscherinn Schlangen sogleich.
Jene durch das offne Thor
schlüpfend erreichen das weite Gemach, in hast'ger Gier das Kinderpaar
rings mit jähem Zahn zu umstricken, doch er streckte hoch das Haupt, versuchte dort im ersten Kampfe sich.

Gegenstrophe III.

Im Doppelgriff den Doppelhals
umfassend hält er sicher gepackt das Gewürm;
langsam erwürgend verlöscht
den Lebenshauch den grausigen Gliedern die Zeit.
Doch der starren Furcht Geschoss
schreckte die Weiber, die hilfreich das Bett umstanden zu Alkemena's Dienst.
Selbst jetzt eilt sie leichten Gewandes im Sprung fort vom Ruhebett, zu hemmen jener Ungethüme Wuth.

Epodos III.

Hastig erschien der Kadmeionen Fürstenschaar mit gewaffnetem Erz dichtgedrängt:
König Amphitruo kam, in der Hand des blossen Schwertes blanken Stahl
schwingend, tief verwundet von Kummer, denn heimische Noth empfindet jeder Bürger gleich,
doch bald vergisst fremder Gefahr theilnahmlos der Menschen Herz.

Strophe IV.

Da stand er, Wonne mischte sich
mit stummem Staunen: schaute das Wunder er doch
muthiger That und die Kraft
des Sohnes. Also wandte der Ewigen Rath
ihm zum Heil der Boten Wort.
Ruft mir den Nachbar Tiresias, sprach er, der Propheten trefflichsten,
ihn, den weisen Seher des mächtigen Zeus. Der enthüllte ihm und allem Volk des Sohnes Lebensloos:

Gegenstrophe IV.

Wie viel verruchter Ungeheuer
er einst auf Erden tilge, wie viele im Meer.
Manchem erbittertem Feind
auch, kündet er, dem list'gen Verächter des Rechts
wird er senden sein Geschick.
Wenn dann die Götter auf Phlegra's Gefild zum Kampfe den Giganten sich
stellen, wird durch seiner Geschosse Gewalt ihres Haupthaars Lockenzierde in der Erde Staub geschleift.

Epodos IV.

Also verhiess er's: Ihm wird endlich seliger Ruhe Genuss für und für
werden als treffliche Busse gewalt'ger Müh'n in alle Ewigkeit.
Grüssen wird er Hebe im sel'gen Gemach als Gemahl, die liebliche; das Hochzeitsmahl
beim ew'gen Zeus feiert er und preis't seinen hehren Aufenthalt.

———

Carminis Nemeaci primi introductio.

Carmen Nemeaeum primum datum est ad Chromium quendam Agesidami filium Syracusanum, qui Nemeae equis (*ἵπποις*, non *ἅρματι*, ut Boeckhius ex optimis libris restituit,) victoriam praeclaram reportaverat. *Χρόμιος* nomen jam antiquissimis temporibus apud Graecos usitatum erat, velut Iliad. II, 857 Chromis, Mysorum dux et Il. XVII, 218 Chromius commemoratur. Stirps hujus vocis est *χρέμω*, hinnire, unde *χρόμος*, *χρόμιος*, non *χρομίος*, nam Lobeckii regula Paralip. 503, si trisyllabum natura sua constet, mediam acutum habere, Graeci accentus legibus non minus repugnat, quam pravae grammaticorum distinctiones: *Χρόμιος* et *Χρομίος*, nec minus *Ὀδίος*, *Δολίος*, *Στροφίος*; imo vero accentus tantum in terminatione *ας* in paenultimam progreditur, ut in *Νικίας*, *Ἀμεινίας* al. Neque magis Lobeckii sententia probanda, primariam formam esse *Χρόμις*; neque enim originatio:

χρέμω		χρέμω
χρόμος	sed	———
χρόμις		χρόμος χρόμις
χρόμιος		χρόμιος est,

nam *χρόμις* et *χρόμιος* proprie adjectiva sunt, ut *στρόφις* Arist. nub. v. 450 juxta *Στρόφιος*; *τρόφις* Il. XI, 307 juxta *Τρόφιος*. Conf. etiam de hac re Numenium apud Athen. VII, 304. c. Ex nomine vero conjiciam, Chromii familiam jam antiquitus studiis equestribus operam dedisse, ut Chromius a puero Hieronis auriga erat; vid. schol. ad Nem. I, 8. Juvenis ille non Syracusis sed Gelae vixisse videtur, nam Timaeus apud schol. ad Nem. IX, 95 eum cum Gelone tyranno artissime junctum fuisse narrat, cujus cum filii tutor esset constitutus, filiam duxisse fertur, nam a schol. ad Pyth. II, 34 Hieronis *κηδεστής* vocatur. Suspicari inde possumus, Chromium Gela oriundum fuisse, sed satis incerta est Boeckhii conjectura, eum e Heraclidarum vel *Ὑλλέων* gente fuisse, cum Geloos, qui doricis institutis uterentur, (conf. Thuc. VI, 4,) Hiero Aetnam, cujus civis postea Chromius erat, duxerit, de qua re conf. schol. ad Pyth. I, 55 et Boeckh. ad carm. Ol. II init. Jam juvenis praeclara facta edidit teste Pindaro Nem. IX, 42: *παιδὶ τοῦτ᾽ Ἀγησιδάμου φέγγος ἐν ἁλικίᾳ πρώτᾳ.* Hippocrates enim Gelae tyrannus quum subactis aliis civitatibus bellum gereret etiam contra Syracusanos, Gelo tyranni frater equitatum duxit comitante Chromio, quae pugna facta est ad Helorum flumen. C. schol. Nem. I, 95 et Herod. VII, 154. Tum etiam contra Carthaginienses proeliis et terra et mari factis eum interfuisse liquet ex Nem. I, 28 ss. et schol. ad Nem. IX, 93. Gelo vero, cum postea opes crevissent, Syracusas commigravit, nam a nobilibus Syracusanis, qui patria pulsi Casmenas se receperant, ut in urbem se restitueret, auxilio vocatus Syracusas se contulit populo sine pugna subjecto; Herod. VII, 155. C. etiam Grotii Hist. Gr. III, p. 166. Cum Gelone Chromius Syracusas se contulit et in Ortygia insula habitasse videtur, nam ibi Hieronis stabula erant; schol. ad Pyth. II, 9. Illius post mortem, quae anno post pugnam apud Himeram facta est, eundem amicitiae locum ei a Hierone Gelonis fratre concessum esse satis est probabile; cum enim Anaxilaus, Rhegii et Messanae rex Locris Epizephy-

riis bellum illaturus esset, Chromius a Hierone missus minis et hortationibus effecit, ut conatu desisteret: Diod. XI, 51; schol. Pyth. II, 17 et I, 98; Strabo V, p. 247. Hiero tyrannus, ut οἰκιστής novam sibi gloriam pararet, Ol. 76 Catanae et Naxi incolis pulsis Aetnam urbem condidit seque cum Chromio Aetnaeum in victoriis renuntiari jussit; Diod. XI, 149; schol. Ol. I; Pyth. I; Nem. I; Chromium vero cum Dinomene filio Aetnae ἐπίτροπον vel administratorem constituerat: διοικεῖν ἔδωκεν apud schol. Pyth. I, 70. Dissenius, cum uterque non eodem tempore urbe fungi potuisset, primum Dinomenem, tum Chromium Aetnae administratorem fuisse conjecit, sed scholiasta, cum Chromium ἐπίτροπον vocet, de Dinomene dicit: διοικεῖν ἔδωκε et infra: παραδέδωκεν Αἴτναν ἐν νόμοις τῆς Δωρίδος στάθμης, ἐπεὶ στρατηγὸν αὐτῆς κατέστησεν αὐτόν. Verisimilius igitur est, Chromium, quum aetate provectior esset, Dinomeni, ut consilio et experientia adjuvaret, appositum fuisse. De reliquis Chromii fatis nihil memoriae proditum est, nisi quae ex Pindari carminibus patent. Etenim homo non solum nobilis sed etiam honestus videtur fuisse, nam ejus cum fortitudo et providentia, tum in amicos liberalitas carm. Nem. I et IX laudatur. Quamquam de alicujus moribus non semper juste ex Pindari carminibus judicare licet, qui a quadam nobilium adulatione alienus non fuerit, nam etiam Chromius, nisi Gelonis et Hieronis ad studia se applicasset, vix per tot annos eundem gratiae locum obtinuisset.

Carmine Nemeaeo primo Nemeaea victoria collaudatur, itaque non alienum videtur, de his quae nota sunt, adnotare. Quo tempore et a quibus hi ludi sint conditi, valde veteres interpretes discrepant, sed jam vetustissimis temporibus originem duxisse omnes fere consentiunt. Alii enim teste schol. ludos ab Hercule, cum Nemeae leonem interfecisset, conditos esse narrant, plurimi vero cum septem contra Thebas proficiscerentur, factum esse referunt. Septem enim illi quum contra Thebas irent Nemeamque venissent, Opheltem Lycurgi et Hypsipyles filium serpentis morsu periisse, (alii Archemorum, Lycurgi et Nemeae nymphae filium adnotant,) cujus mortem ut celebrarent, hos ludos constituisse, postea autem Herculem venisse Jovique hos ludos consecrasse. Ex his tantum vetustissimos esse perspicitur, nam prima Nemeas inter Ol. 52 et 53 ponitur. C. Grotii H. G. II, 378. Habebantur ludi Nemeae inter Phliuntem et Cleonas (Strab. VIII, 372,) in Jovis Nemeaei honorem die duodecimo mensis Panemi judicesque pullis vestibus indutos fuisse schol. commemorat, ut lugubris originis memoriam proderent. Celebrabantur tertio quoque anno et equestribus certaminibus et luctando; pretium corona ex viridi apio facta ut in Isthmo ex sicco erat: primi Cleonaei his ludis praeerant usque ad annum 460, (c. Nem. X, 42; Nem. IV, 17,) deinde Argivi vel Corinthii sibi administrandos assumpserunt. Quo tempore Chromius hanc victoriam reportaverit, quae prima videtur fuisse, si schol. ad Nem. I, 8 fides habetur, conjicere licet, si, quo tempore scriptum sit carmen, constituerimus. Ex carminis v. 18 Pindarum, quum hoc carmen scriberet, in Sicilia fuisse apparet, id quod ante Ol. 76, 3 et post Ol. 77, 1 factum esse non potest. Cum vero Aetna urbs Ol. 76, 1 condita sit, cum Boeckhio verisimile esse arbitror, Ol. 76, 4 carmen scriptum esse. Videtur eo tempore Chromius Syracusis habitasse, quum initio haec urbs laudibus efferatur, sed Aetnaeorum civium numero ascriptus erat ita, ut primum Syracusis, deinde Aetnae sedem perpetuam haberet. C. schol. ad Nem. IX.

Explicatio.

V. 1. *Ἄμπνευμα* scholiasta explicat vocibus *ἀνάπνευμα* et *ἀναπνοή*, quae proprie significant anhelitum, ita apud Pindarum Pyth. III, 57: *ἀμπνοὰν στέρνων κάθελεν*, vel apud Platonem Timae. 91, 6: *ἀναπνοὴν λαβών*, unde per se vivendi notio redundat; c. Soph. Aj.: *ἀμπνοὰς ἔχειν* vel Polyb. III, 63: *ἕως τῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς*. Tum vero specialis spiritum ducendi significatio in generalem se recipiendi amplificatur, cujus ipse Pindarus exemplum praebet Ol. VIII, 7: *τῶν δὲ μόχθων ἀμπνοάν*. *Ἀνάπνευμα* semel tantum apud Pindarum occurrit, cujus de vocis notione recte scholiasta disputat, sicut enim substantiva terminationis *σις*, gen. *σεως* ipsam actionem, (c. *ἀνάπνευσις πολέμου* Il. XIII, 201,) ita substantiva in *α* gen. *ατος* exeuntia, quod actione effectum vel creatum est, exprimunt; itaque *ἀνάπνευμα* est quies vel receptaculum Alphei, nam conditio, qua quis utitur, facile ad locum ipsum transfertur, ut *μνῆμα*, memoria et monumentum, *ῥεῦμα*, res labens, deinde flumen ipsum, a. h. g. Itaque minus bene vox *ἄμπνευμα* ab alio scholiasta voce *ἀναφύσημα* circumscribitur, nam Alpheus in Ortygia insula non solum ex terra profluit, sed longo itinere defessus se recipit, acquiescit. Pro *ἄμπνευμα* alia lectio *ἄμπαυμα* exstitisse videtur, nam scholiasta dicit: *τὸ δὲ ἀνάπαυμα ἐπὶ τῆς ἐρωτικῆς σπουδῆς τοῦ ποταμοῦ τάττει*, quae improbanda est, etsi apud Hesiod. Theog. v. 55 *ἄμπαυμα μερμηράων* reperitur.

Deinde non alienum a nostro proposito est, nonnulla adnotare de praepositionis correptione in *ἄμπνευμα* pro *ἀνάπνευμα* epicis poetis usitata, (c. Buttmanni Gr. Gr. II, 372) neque apud Pindarum non inventa. Vocali vocis *ἀνά* *α* abjecta et liquida *ν* ante mutam *π* assimilata Pindarus semper dicit *ἀμπνοά*, ut Pyth. III, 57: *ἀμπνοὰν κάθελεν*, Pyth. IV, 199: *ἀμπνοὰν ἔστασαν*, Ol. VIII, 8: *ἀμπνοὰν μόχθων*. In verbo *ἀναπνεῖν* semel primitiva forma utitur Nem. VII, 5: *ἀναπνέομεν οὐχ ἐπὶ ἴσα*, bis correpta Ol. VIII, 47 et Nem. VIII, 19. In verbo *μνάω*, *μιμνήσκειν* semper correptam formam occupat, ita *ἀμνάμονες βροτοί* Ist. VI, 17; *τὸν ἀμνάσει* Pyth. IV, 54; *ἀμνάσειν* Pyth. I, 47; ac simili modo in *πίμπλημι* *ἀμπιμπλάντες πότμον* Nem. X, 57 et *ἀνσπάσσαντες* Pyth. IV, 27; semper apud *ἀνατείνειν* excepto *ἀνατείναις χεῖρας οὐρανῷ* Ist. V, 38. Itaque si aliquam de hac re legem constituere licet, semper ante consonantes duplices *μν* et *σπ* Pindarus vocalem *α* abjecit, contra in consonantibus duplicibus *πλ*, *πν* et simplicibus *π*, *τ*, *φ* metricas rationes secutus modo primarias, modo correptas formas occupasse videtur.

Σεμνόν, quod ex *σεβνόν* ortum est (v. Buttmann. I. 89, n.) radice sanscrita sêv, quae significat colere, (c. Benfey. Lex. rad. I, 407; *ὕπνος* = sopnus, sompnus, somnus,) Alphei receptaculum vocatur, quatenus hoc adjectivum proprie diis vel rebus divinis tribuitur, cujus rei non opus est exempla afferre. Tum etiam de locis vetustis et sanctis usurpatur, ita Pindarus dicit Ol. IX, 7: *σεμνὸν ἀκρωτήριον Ἄλιδος* et frgm. 63: *σεμνῶν ἀδύτων φύλαξ*. Minus bene schol. rem intellexit, qui et prorsus inepte interpretatur: *ἤτοι, ὅτι οὐκ ἔτυχε τῆς συνουσίας ὁ Ἀλφειός*, nec convenienter: *ἢ διὰ τὸ καθαρόν*, neque enim Euripides Medeae v. 68 ab illo allato: *θάσσουσι σεμνὸν ἀμφὶ Πειρήνης ὕδωρ* propter limpidam aquam fontem *σεμνόν* vocat.

Iam vero postquam de verborum notione atque structura disputavimus, ad sensum accedamus.

Pertinent haec verba ad notissimam veterum fabulam, Alpheum Elidis flumen, cum Arethusam nympham amaret, eam sub mari secutum in Ortygia insula ad lucem provenisse. Hujus rei testis primum est Pausanias V, 7, 2: *λέγεται δὲ καὶ ἄλλα τοιάδε ἐς τὸν Ἀλφειὸν, ὡς ἀνὴρ εἴη θηρευτὴς, ἐρασθῆναι δὲ αὐτὸν Ἀρεθούσης κ. τ. λ.* et insequentibus idem probat, Alpheum e terra provenire allato aliquo Archiae oraculo:

Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
Τρινακίης καθύπερθεν, ἵν᾽ Ἀλφειοῦ στόμα βλύζει,
μισγόμενον πηγαῖς εὐριπείης Ἀρεθούσης.

Alterum testem affero Strabonem, qui de eodem flumine haec disserit: *μυθεύουσι δὲ, τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον, ἀρχόμενον μὲν ἐκ τῆς Πελοποννήσου διὰ δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ γῆς τὸ ῥεῖθρον ἔχοντα μέχρι πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν, εἶτ᾽ ἐκδιδόντα ἐνθένδε πάλιν εἰς τὴν θάλατταν.* Sequentibus deinde nostrum Pindari versum Timaeique historici testimonium commemorat.

V. 2. „*Κλεινᾶν Συρακοσσᾶν θάλος Ὀρτυγία.*“ Alio quodam epitheto Ortygiam insulam, cujus hic demum apparet nomen, exornat, nam insulam vocat primitias clarissimarum Syracusarum. *Θάλος* a *θάλλειν* efflorescere ortum proprie significat stirpem abunde nutritam sive primitias plantarum, ut altera forma *θαλλός*, quae tantum primariam notionem usurpare videtur; *θάλος* enim in homines quoque transfertur, ut Il. XXII, 87: *φίλον θάλος, ὃν τέκον αὐτή* et Pind. Ol. II, 49: *Ἀδραστίδαν θάλος.* Neque mirum quod *θαλλός* ex *θαλjος* ortum concretam notionem retinet, *θάλος* etiam translatam, cum *θάλος* ut *γένος* al. i. g. per se magis abstractum sit. Accentus positus est, ut in *κῆδος, λάχος, βέλος,* quae neutra in *ος* exeuntia nunquam accentum in ultimam recipiunt. C. etiam Buttmanni Lexil. sub vv. *Κλεινός* vel proprie *κλεϊνός* a *κλέος* derivatum, ut similia *ὀρεινός, σκοτεινός, ἀλγεινός φαεινός,* apud Pindarum et alios nobilium urbium epitheton est, ut *κλεινὰ Αἴγινα* frgm. IV, 1; *κλεινὰν Ἀκράγαντα* al. *Θάλος* Ortygia a poeta nominatur, quod in hac insula antiquissima Syracusarum pars sita erat, tum etiam, quod haec insula propter alias causas maxima pietate colebatur. Hoc loco opus erit, accuratius de Syracusis urbe et Ortygia insula disputare.

Ol. 11, 3, anno postquam in Sicilia Naxos urbs a Chalcide duce Theocle condita est, (c. Thuc. VI, 3; Strabo, VI, p. 267,) Archias quidam in Siciliam commigravit in Ortygiamque insulam incolas duxit. Archias ille Euageti filius ex nobilissima Bacchiadarum familia natus Corinthi, cum nimis luxuriose viveret, Actaeoni cuidam juveni nobili insidias fecit. Cujus pater Melissus cum filium tuiturus esset, ille vino repletus in patris domum irrupit rixaque coorta Actaeonem interfecit. C. Diod. VIII, 10. Melissus vero, cum ab Archia poenam sumere non posset, in ludis Isthmiis dolore captus se ipse interfecit, Neptuni ultione contra interfectorem invocata. Huic invocationi veteres scriptores tantam vim tribuunt, id quod illis temporibus haud ita offendit, ut Archiam sua sponte patriam reliquisse opinentur eundemque incolis in Siciliam commigrantibus praefuisse narrant. C. Plut. narr. amat. p. 772; schol. ad Apoll. Rhod. IV, 1212. De colonia Syracusas ducta alii scriptores dicunt, ut Thuc. VI, 3: *Συρακούσας δὲ τοῦ ἐχομένου ἔτους* (post Naxum conditam) *Ἀρχίας τῶν Ἡρακλειδῶν ἐν Κορίνθου ᾤκισεν* atque accuratius Strabo rem narrat VI, 269, ss. Idem colonos non solum Corinthios fuisse dicit, sed *Ἀρχίαν κατασχόντα πρὸς τὸ Ζεφύριον τῶν Δωριέων εὑρόντα τινὰς δεῦρο ἀφιγμένους ἐκ τῆς Σικελίας παρὰ τῶν τὰ Μέγαρα*

κτισάντων ἀναλαβεῖν αὐτοὺς καὶ κοινῇ μετ' αὐτῶν κτίσαι τὰς Συρακούσας. Socios ille habuit Myscellum (Strab. VI, 262,) et Aethiopem Corinthium de quo Athenaeus miram quandam narratiunculam affert IV, 267: τοιοῦτος ἐγένετο καὶ Αἰθίοψ ὁ Κορίνθιος, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Σκήψιος, ὑπὸ φιληδονίας γὰρ καὶ ἀκρασίας καὶ οὗτος μετ' Ἀρχίου πλέων εἰς Σικελίαν, ὅτ' ἔμελλε κτίζειν Συρακούσας, τῷ ἑαυτοῦ συσσίτῳ μελιττούταις ἀπέδοτο τὸν κλῆρον, ὃν ἐν Συρακούσαις ἔμελλεν ἕξειν. C. Pausan. V, 7, 2. Tum etiam haud minima colonorum pars ex Tenea Corinthi vico venisse dicitur; c. Strabo, VIII, 380: λέγεται δὲ καὶ Ἀρχίᾳ τῷ στείλαντι τὴν εἰς Συρακούσας ἀποικίαν τοὺς πλείστους τῶν ἐποίκων ἐντεῦθεν (ἐκ Τενέας) συνεπακολουθῆσαι.

Hi coloni primum Ortygiam insulam occupaverunt testante schol. ad Thuc. VI, 3: τὸ πρῶτον οἱ Συρακούσιοι τὸ νησίδιον ᾤκισαν μόνον, αὖθις δὲ μὴ χωροῦντος αὐτοῦ συνάψαντες αὐτὸ τῇ Σικελίᾳ διὰ χώματος κατῴκησαν. (Si schol. ad Pind. Pyth. II, 1 Archiam quatuor urbes, Achradinam, Neapolim, Epipolas, Tycham subjecisse et ex his Syracusas confecisse dicit, haec opinio jure a Goellero ad Thuc. VI, 3 rejicitur.) Insula igitur primum Ortygia fuit, id quod plurimi veterum loci testantur, postea vero aggere a Syracusanis cum continente conjuncta est. V. Thuc. l. c.; schol. Ol. VI, 157 et Nem. I, 1: ἡ Ὀρτυγία πρότερον μὲν οὖσα νῆσος, ubi Ibyci verba afferuntur, quae Boeckhius restituit; Strabo VI, 270. Recentioribus temporibus aggere soluto iterum insula facta et ponte cum Achradina conjuncta est. Si Goellerus vallum illud lapideum sive terrae motu destructum, sive undarum vi perruptum esse suspicatur, de hac re nihil constat. C. Strabo I, 59; Cic. in Verr. IV, 52, 53. Denique iterum ex illius pontis et finitimorum aedificiorum ruinis vallum compositum est, de qua re Goellerus II, p. 192 et Cluverus Sicil. ant. p. 88 inspiciendi sunt.

Quid vero haec omnia ad nostrum locum? Non mirum, cum Ortygia antiquissima Syracusarum pars esset, etiam vetustam deorum et sacrorum sedem fuisse. Jam supra vidimus, Arethusae nymphae fontem sacratum fuisse, sed nobilissimus omnium Dianae in Ortygia cultus erat. Narrat Diodorus V, 3, Dianam insulam illam a diis donum accepisse nymphasque ut Dianae gratum facerent, Arethusam fontem e terra misisse, cujus pisces sacri essent. Dianae templum etiam Cicero in Verr. IV, 53 commemorat. Hanc Dianam, quae Syracusis colebatur, Pindarus ποταμίαν vocat Pyth. II, 7: ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος, nam Diana ante omnia lacus locosque humidos amabat, ubi aestatis aestus rore lenitur, itaque Diana Limnatis apud Spartanos colebatur. C. Paus. VIII, 53, 5; Strabo VIII, 362. Hanc Dianam ποταμίαν accuratius veteres Ἀλφειῶαν, Ἀλφειῶσαν, Ἀλφειοῦσαν, Ἀλφειονίαν vocant. Etenim teste Strabone VIII, 348 in Elide in Alphei ostiis Ἀρτέμιδος Ἀλφειωνίας ἢ Ἀλφειούσης lucus et sacrum erat itemque Olympiae quotannis Dianae πανήγυρις habebatur; c. Athen. VIII, p. 346: οἶδα δὲ καὶ τὴν ἐν τῇ Πισάτιδι γραφὴν ἀνακειμένην ἐν τῷ τῆς Ἀλφειώσας Ἀρτέμιδος ἱερῷ. Pausanias postquam VI, 22, 5 apud Letrinaeos in Elide Dianae Alpheusae sacrum commemoravit, hoc cognomen ita explicat: Alpheum Dianae amore captum tamen eam adipisci non potuisse, itaque ei cum apud Letrinaeos nocturna sacra celebraret, insidias fecisse. Postquam vero Diana Alphei dolos effugerit, Letrinaeos deam Alpheaeam propter Alphei amorem vocavisse. Dianam cum Alpheo Olympiae aram habuisse etiam Herodorus dicit in schol. ad Ol. V, 10. Jam cum Boeckhio Dianae cum Alpheo cultum ex Peloponneso in Siciliam translatum esse statuendum est, de qua re accuratissime O.

Muellerus disputat in Prolegg. Mythol. p. 135. Inter colonos enim, qui Archia duce in Siciliam veniebant, etiam homines Elii, inprimis ex clarissima Jamidarum gente erant, qui deorum sacris ibi fungebantur; c. schol. Ol. XI, 7: δι' ἐμπύρων ἐν Ἤλιδι Ἰαμίδαι ἐμαντεύοντο, et ad v. 8: Ἀγησίας ἀπ' ἐκείνων τῶν συνοικισάντων, ὅτι οἱ πρόγονοι αὐτοῦ σὺν Ἀρχίᾳ παρεγένοντο ἐν Συρακούσαις οἱ Ἰαμίδαι, ἀφ' ὧν εἰκὸς παραλαβεῖν τινας κ.τ.λ. His praemissis colonos Elidis et deos et sacra etiam in novam patriam transtulisse et Dianae in Ortygia insula templum aedificasse apparet, quod Pindarus ἕδος Ἀρτέμιδος ποταμίας vocat. Atque hoc modo fabula orta est, Alpheum secutum esse deam sub terra et sacrum Arethusae fontem Alphei caput esse, cui etiam fabula a Strabone narrata, pateram Olympiae in Alpheum conjectam in Arethusa fonte inventam esse favet. Contra alii Alpheum Dianae amore captum deam usque ad Ortygiam insulam secutum esse narrabant, ita schol. Pyth. II, 12, ac simili modo Telesilla apud Hephaest. p. 36, 18: ἁ δ' Ἄρτεμις, ὦ κόραι, φεύγοισα τὸν Ἀλφειόν Dianam Alphei insidias fugisse narrat. Recentioribus igitur temporibus, quum Dianae memoria minus valeret, Arethusa in deae loco posita est et mythologi tantum Arethusam ab Alpheo amatam esse narrabant.

Δέμνιον Ἀρτέμιδος Dianae cubile poeta Ortygiam vocat, quod ibi post diuturnam migrationem dea acquievit. Δέμνιον a δέμειν aedificare proprie aedificium parvum significat, atque vulgo lecti notio plerumque plurali usurpatur, sed nondum hujus loci sensus prorsus perspicuus est, nam jure quaerimus, cur Ortygia Dianae δέμνιον, Deli soror vocetur. Omnino difficilis est haec de Ortygiis et Dianae sedibus quaestio neque non tractata ab hominibus doctis ut H. Vossio in Epp. mythol. Welckero in Mythologia, Dissenio in Boeckhii editione majore. Tamen, ut ad certum quendam finem in hac re perveniatur, veterum locos secundum temporum ordinem examinemus. Ac primum quidem Ortygia in Hymno in Apollinem commemoratur v. 16:

— ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα
Ἀπόλλωνα τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐπὶ Δήλῳ.

Quum autem plures Ortygiae nominis insulae exstarent, dubitari potest, de qua insula hic cogitandum sit. Mihi quidem cum Welckero p. 599 ad parvam illam insulam Delo proximam nomen referendum videtur, ut Apollini et Dianae geminis geminae insulae vindicentur. Tum etiam apud Homerum Ortygiae mentio fit Od. V, 121, ubi de Orione sermo fit, quem ἐν Ὀρτυγίῃ χρυσόθρονος Ἄρτεμις — κατέπεφνεν. Porro Od. XV, 403 in Syria insula haud procul ab Ortygia Apollinem et Dianam homines lenibus telis tollere narratur. Etiam haec Ortygia, quod cur Welckerus neget non intelligo, ad eandem insulam referenda videtur, cum Orionem Deli cultum fuisse constet. C. O. Mueller. Dor. II, 9, 4. Teste Strabone I, 23 etiam Hesiodus Ortygiam insulam commemoraverat: Ἐρατοσθένης Ἡσίοδον εἰκάζει μεμνῆσθαι Ὀρτυγίας τοῦ πρὸς Συρακούσαις νήσου; neque tamen ex hoc loco certi aliquid conjici potest nec magis ex oraculo apud Pausaniam V, 7, 2. Delos insula unde Ortygiae nomen receperit, a Phanodemo in Atthidis lib. II apud Athenaeum IX, 392 explicatur: ὡς κατεῖδεν Ἐρυσίχθων Δῆλον τὴν νῆσον τὴν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καλουμένην Ὀρτυγίην παρὰ τὸ τὰς ἀγέλας τῶν ζώων τούτων (ὀρτύγων) φερομένας ἐκ τοῦ πελάγους ἱζάνειν εἰς τὴν νῆσον. C. etiam Strab. X, 486: ὠνομάζετο Δῆλος δὲ καὶ Ὀρτυγία πρότερον et Arist. Avv. 870: καὶ Κύκνῳ καὶ Δήλῳ καὶ Λητοῖ Ὀρτυγομήτρᾳ. Ac simili modo ex eorum, qui

Siciliam visitaverunt, narrationibus constat, coturnices in Africam proficiscentes in Sicula Ortygia residere solere. Itaque primum et jam antiquissimis temporibus Delos et proxima illi insula Ortygiae nomen recepisse videntur, deinde, ut Welckerus adnotat, cum Dianae cultu nomen ad cetera loca et Syracusas translatum est, praesertim cum coturnices etiam in Sicilia quiescerent. Enim vero alia Ortygia in Aetoliae monte Chalcide erat; c. schol. ad Ap. Rhodium I, 419: *Ὀρτυγία ἡ ἐν Χαλκίδι,* ubi Ortygiae nomen inde in Delum reliquasque c. n. insulas translatum fuisse dicitur. Denique Ortygia quaedam apud Ephesum sita erat testante Strab. XIV, 639.

Sed aliud accedit. Graecis coturnix veris nuntius erat, itaque inter coturnicem et Dianam, cui mensis Aprilis sive *Ἀρτεμίσιος* vel *Ἐλαφηβόλιος* sacer erat, arctus nexus coortus est nomenque ad deam ipsam relatum, ita apud Sophoclem Trachiniarum chorus v. 214 Dianam invocat *Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν,* eandemque ob causam Ephesi in luco Ortygiae statua erat utraque manu Dianam pullam tenentis, (c. Strabo XIV, 639,) atque Latona in coturnicem se commutasse dicitur, ut Dianam Ortygiam pareret; v. Serv. ad Virg. Aen. III, 72. Itaque Dianae cultus Ortygiaeque nomen a colonis in Siciliam translatum est eo facilius, cum insulam illam Syracusanam crebro coturnices visitarent. Quum vero Dianam in Delo insula olim Ortygia vocata natam esse constaret, factum est, ut etiam Syracusis nonnulli natam esse Dianam narrarent, in quibus Aristarchus test. schol. ad Nem. I, 3 interpretatus est: *διὰ τὸ κατ' ἐνίους τόθι δοκεῖν αὐτὴν γεγεννῆσθαι.* Sed de hac re nihil apud Pindarum legitur, neque ut Dissenius existimare videtur, Aristarchus *δέμνιον* sive cunas sive nidum explicat. Imo *δέμνιον,* proprie cubile, cum schol. vertendum *ἐνδιαίτημα καὶ διατριβή,* sedes, sicut simili modo, cum idem vivendi genus Dianae et Nymphis esset, in schol. ad Il. XXIV, 615 Sipylus *εὐναὶ Νυμφάων* vocatur. Itaque Diana Alpheum fugiens in Ortygia insula acquiescit, postea ibi culta sedem tenet. Deli sororem Pindarus Ortygiam vocat, primum quod utrique insulae idem nomen erat, deinde quod utrobique dea sanctissime colebatur. Sed certe Pindaro non in mentem venit, sive Deli sive Ortygiae Dianam natam esse, ut scholiasta quidam suspicatur, nam ante jam ab Alpheo Diana amata est, quam in Siciliam ejus cultus pervenit, nec magis convenit, si Ortygia ad Dianam, Delos ad Apollinem referatur. Jam vero hujus loci sensum ita schol. secutus amplector: *Ὀρτυγία,* (nam hoc subjectum est,) *ὦ σεμνότατον ἀνάπαυμα τοῦ Ἀλφειοῦ, τῶν Συρακουσῶν καὶ τῆς Σικελίας κόσμε καὶ βλάστημα, τῆς Ἀρτέμιδος ἐνδιαίτημα καὶ τῆς Δήλου ἀδελφή,* vel: Ortygia, flos atque corona Syracusarum, requies sacrosancta Alphei, Dianae cubile, soror Deli, atque cum Dissenio arctius conjungo: *κλεινᾶν Συρακοσσᾶν θάλος Ὀρτυγία.*

Reliqua est quaestio, cur Ortygiae invocatione potissimum poeta carmen instituat. Schol. ad Pyth. II, 9 in Ortygia Hieronis et Chromii stabula fuisse adnotat, igitur Chromium cum Hierone, cujus ibi arx erat, in insula habitasse conjicimus. C. Ol. VI, 92; Pyth. II, 6; Pyth. III, 69. Schol. ad v. 1 Dianam *ἱππικήν* esse adnotat, quam Sophron mimographus *ἀτρέστιν* et Homerus (Il. III, 205,) *χρυσήνιον* vocet. Pausanias apud Pheneates Dianam *Εὐρίππαν* commemorat VIII, 14, 4: *καὶ Εὐρίππαν ὀνομασθῆναι τὴν θεόν,* quae cum Neptuno *ἱππίῳ* componitur, atque in Pheneatum nummis Eckelius Dianam *ἱππίαν* invenit; c. Eckel. D. numm. I, p. 105 et Welckerum I, 594. Has ob causas Pindarus, ut Chromium celebret, Ortygiam invocat cum Diana conjunctam. Sicut

enim Pyth. II, 7 Hiero *ποταμίας Ἀρτέμιδος οὐκ ἄτερ ἀγαναῖσιν ἐν χερσὶ ποικιλανίους ἐδάμασσε πώλους*, ita Chromius juvante Diana Alpheoa victoriam reportavit. C. Pyth. III, 1.

V. 4 et 5: *σέθεν ἁδυεπὴς κ.τ.λ.* cum schol. explico: *ἀπὸ σοῦ, ὦ Ὀρτυγία, ὁ ἡδυεπὴς ὕμνος τὴν ὁρμὴν ἔχει, ὥστε θεῖναι καὶ πληρῶσαι ἔπαινον μέγαν τῶν ὀξυτάτων ἵππων*, vel: a te ordiens cantus meus suaviloquens altam velocissimorum equorum laudem parare cupit; neque enim cum alio schol. conjungendum: *ἐκ σοῦ ἡδυεπὴς καὶ εὔφημος*. Pronominis genitivum *σέθεν* primaria notione poeta occupat = *ἐκ σοῦ* non *σοῦ*. Hoc tantum semel apud Pindarum inveni, alias vero cum praepositionibus, ita Pyth. I, 88: *μέγα τοι φέρεται* et Isthm. III, 5: *μεγάλαι δ' ἀρεταὶ θνατοῖς ἕπονται ἐκ σέθεν*. Reliquis locis apud poetam *σέθεν* est = *σοῦ*, quae vulgata forma apud eum nunquam legitur, pro ea vero *σέο* et *σεῦ*. *Θέμεν αἶνον* quid sit, Dissenius non prorsus perspexisse videtur, dicit enim: quid sit, discas ex Nem. VII, 76, ubi verba sunt: *νικῶντι γε χάριν οὐ τραχύς εἰμι καταθέμεν*. Apparet horum verborum sensum esse: non piget, victori quidem laudem (ea vero, ut ex insequentibus liquet, corona est,) deponere, caput corona redimire. Sed primum nostro loco *αἶνος* non corona, sed tantum laus, laudatio est, deinde *θέμεν* legitur, non *καταθέμεν*. Imo vero *τίθημι* hoc loco notionem a Pindaro saepe usurpatam faciendi vel parandi habet, ut *θήσω φανερά* Ol. XIII, 94; *χάρματ' ἄλλοις ἔθηκε* Ol. II, 109; *ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε* Pyth. XI, 14; *δόλον θέσαν* Pyth. II, 39. Cui addas notissimum illud Hom. Il. I, 2.

V. 6. „*Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν.*" Ol. 76, 1, ut supra p. 5 disputavi, Hiero Naxi et Catanae incolis pulsis novisque colonis adductis Catanae Aetnae nomen indidit diligentissimeque hujus urbis opibus favit. C. Diod. XI, 49 et Strab. VI, 269. In eadem urbe Hiero Jovis fanum cum statua posuerat festumque instituerat, quod Aetnaea vocabatur (c. schol. ad Ol. VI, 96 et h. l.,) Jovisque sacerdos Hiero ipse videtur fuisse. C. Ol. XII, 16. Quaeritur jam primum, cur Pindarus Jovem Aetnaeum commemoraverit, deinde, quid *χάριν* significet. Schol. ad v. 6 adnotat, ad celebranda Jovis Aetnae sacra *ἐν πανηγύρει* Hieronis amicos carmina in victorum laudem composita canere solitos fuisse ideoque Didymo teste *καὶ τὸν ἐπὶ τῆς Χρομίου Νεμεακῆς νίκης ἐπινίκιον ἕνεκα τούτου συντετάχθαι, ὑπὲρ τοῦ μέλλειν αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πανηγύρεως ᾀσθήσεσθαι*. Neque tamen huic conjecturae, nam hanc *πιθανόν* probat, fidem habemus, primum enim illud carmen, in quo semel tantum Jupiter Aetnaeus et v. 13 *Ζεὺς Ὀλύμπου δεσπότας* commemoratur, non aptum est ad celebrandum illum deum, tum etiam v. 19 et seqq. carmen ante Chromii aedes cantatum esse docent. Neque omnino scholiastae conjectura quodam modo etiam a Dissenio probata opus est, si *χάριν* recte explicamus, quam vocem interpretari possumus aut „decus, gaudium Jovis Aetnaei," aut „propter Jovem Aetnaeum." Improbo hoc loco Dissenii cum schol. interpretationem: „propter Jovem Aetnaeum," quae verba non idem sunt atque: „quod gratum sit Jovi Aetnaeo," nam si Pindarus diceret: Ortygia, tu me impellis ad equorum victoriam canendam, hoc non sufficit ad Jovem celebrandum. Ceterum *χάριν* praepositionis „propter" notione non solum Il. XV, 744 invenitur, sed haec notio satis trita est. Imo vero *χάριν* explico minus „decus," ut Dissenius, quam „gaudium, delectationem," quo sensu saepius apud Pindarum legitur, ut Pyth. XI, 12: *ἑπταπύλοισι Θήβαις χάριν*. Frgm. 105: *θεοῖς χάριν ἀοιδᾷ φυτεύει*. Pyth. X, 64: *ἐμὰν χάριν ποιπνύων*. Igitur Pindarus talia sibi vult: „a te hymnus victoriae laudem

ordiri cupit, Jovis Aetnaei delectationem", in quo profecto non cum Dissenio verendum est, ne ornamentum equorum sit Jovis ornamentum, nam *αἶνος ἀελλοπόδων ἵππων* est victoriae laus equis velocibus reportata, qua certe Jupiter gaudet. Aetnaeum vero Jovem ideo poeta commemorat, quia Chromius ut supra demonstravi, Aetnae *ἐπιστάτης*, fortasse etiam Hieronis in administrandis Jovis sacris socius erat, tum, quia Chromius et Hiero in certaminibus Aetnaei se pronuntiaverant, id quod Didymus in schol. probat: *ταὐτὸν (Αἰτναῖον ἑαυτὸν εἶπε,) παθεῖν καὶ τὸν Χρόμιον, ἑταίρῳ κεχρημένον αὐτῷ* (Hieroni). Ita omnia plana fore arbitror. Pro genitivi forma *Ζηνός* etiam *Διός* saepe Pindarus utitur, simili modo *Ζηνί* et *Δί*, sed semel tantum *Διί* exstat frgm. 49.

V. 7 Pindarus pergit: „currus vero Chromii et Nemea incitat, victorialibus studiis carmen celebrans jungere." Dissenius, quia Pindarus tantum currum Chromii commemoret, illum aurigam solum misisse suspicatur, neque enim ipsum victorem laudari, ut Istm. I, 15: *ἁνία τἀλλοτρίαις οὐ χερσὶν νωμάσαντες*, id quod satis incertum est, nam si hoc carmen ante c. N. nonum scriptum esse accipimus primamque hanc fuisse Chromii victoriam, qui, cum ante Hieronis auriga fuisset, postea ipse equos aluit victoriisque reportandis operam dedit, verisimilius videtur, Chromium ipsum Nemeae affuisse. C. schol. ad v. 8. Cui accedit, quod, cum alias Pindarus aurigas commemorare soleat, ut Ol. VI, 22: *ὦ Φίντις*, etiam carmine Nem. IX Chromius ipse currum regit. *Ἐγκώμιον μέλος ζεῦξαι* est carmen victoriale nectere, componere, ut Isthm. I, 6: *σὺν θεοῖς ζεύξω τέλος* et Pyth. III, 114: *τέκτονες οἷα σοφοὶ ἅρμοσαν*.

V. 8. Postquam poeta, quibus rebus commotus ad carmen componendum perductus sit, exposuit, sicut monente scholiasta omnia ab hominibus perfecta ad deos revocare solitus est, fundamenta rerum gestarum cum in divinis Chromii virtutibus, tum maxime in deorum ope posita esse commonet. Nam *ἀρχαὶ βέβληνται θεῶν* non carminis fundamenta sunt, neque, ut alius schol. vult, ad Dianae invocationem referenda, nam de hoc jam antea dictum est, sed fundamenta, principia omnia, ideo etiam hujus victoriae jacta sunt *θεῶν*, i. e. *ἐκ θεῶν*, ope divina; neque enim conjungendum est: *ἀρχαὶ θεῶν*, sed: *βέβληνται θεῶν* notione genitivi locativa vel potius causali, pro *ἐκ θεῶν*, a parte deorum, ut nota illa: *ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο, παντ᾽ ἐμοῦ κομίζεται*, al. i. g. Itaque, quae Dissenius affert: *αἴσᾳ Διός, τύχᾳ θεοῦ*, non prorsus in nostrum locum cadunt. Cui etiam schol. assentitur; *αἱ γὰρ ἀρχαὶ ταῖς δαιμονίαις καὶ θείαις ἀρεταῖς ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς ἐκ θεῶν βέβληνται.* Porro ex sententiarum nexu perspicuum est, cur dicat *ἀρχαί*. Est ita: Chromi, sane quidem curru et studiis praeclaris victoriam assecutus es, sed noli omittere, fundamenta ejus non solum divinis tuis virtutibus, sed ante omnia deorum auxilio adscribenda esse, eoque melius *ἀρχαί* dictum est, si haec prima Chromii victoria erat.

Pergit deinde: „posita autem est in felicitate, (qua tu frueris) summum gloriae et insignium certaminum Musa reminisci solet," vel: initia victoriae diis debes tuisque virtutibus assecutus es victoriam, qua nihil clarius hominibus est, quam ego faventibus Musis canto.

Postquam carmine instituto res ipsa oda laudanda breviter commemorata est, Pindarus ad primam partem transit, qua Chromii victoria totam insulam tolli demonstrat. Dicit enim: „sparge nunc splendorem quendam insulae, quam Olympi dominus Proserpinae dono dedit," ss.

Σπείρειν, ut Dissenius recte adnotat, de multa et copiosa laude dictum est, ut *ἀναπάσσει*

χάριν Ol. XI, 94 et μομφὰν ἐπισπείρων ἀλιτροῖς Nem. VIII, 39. Ἀγλαΐα proprie est splendor, ut saepius apud poetas; apud Pindarum etiam victoriam et laetitiam victoriae significat, ita Ol. XIII, 14: νικαφόρον ἀγλαΐαν ὤπασαν, Pyth. VI, 46: ἀγλαΐαν ἔδειξε, Isth. II, 18: πόρεν ἀγλαΐαν, al.

Vetus fama erat Siculis antiquitus a majoribus tradita, totam insulam Cereri et Proserpinae sacratam esse, testeque Diodoro V, 2 nonnulli poetae narrabant: κατὰ τὸν τοῦ Πλούτωνος καὶ Φερσεφόνης γάμον ὑπὸ Διὸς ἀνακαλυπτήρια τῇ νύμφῃ δεδόσθαι ταύτην τὴν νῆσον. Idem schol. ad nostrum locum suspicatur, tum Cic. in Verr. IV, 48; Plut. Tim. c. 8; schol. ad Ol. II, 16; Ol. VI, 160, ubi in Sicilia solemnia Proserpinae ἀνακαλυπτήρια agi narratur. C. etiam schol. ad Pyth. XII, 1: ὅλην γὰρ τὴν Σικελίαν ἐδωρήσατο τῇ Περσεφόνῃ ὁ Ζεύς. Fabula ipsa de Proserpina a Plutone matri erepta tam nota est, ut de hac aliquid adnotare nullo modo opus sit, quaerendum vero est non minus de deae illius nomine quam de totius fabulae sensu. Variae sunt deae nomina variaeque veterum de hujus nominum originatione opiniones, ita Φερσεφόνη apud Hesychium explicatur: ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος ἢ τὸν πλοῦτον διὰ τὸν καρπὸν, ἢ ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν. Deinde Plato Crat. 404, c. et Cleanthes Stoicus apud Plut. de Is. et Osir. 66: τὸ διὰ τῶν καρπῶν φερόμενον καὶ φονευόμενον πνεῦμα. Orph. Hymn. XXIX, 16 verba sunt: Φερσεφόνεια, φέρεις γὰρ ἀεὶ καὶ πάντα φονεύεις. Φερσέφασσα est apud Sophoclem Ant. 894; Eur. Hel. 175; Περσέφασσα apud Aesch. Cho. 490; Eur. Phoen. 684; Φερσέφαττα apud Arist. Thesmoph. 287, quod nonnulli per φωσφόρος explicabant, quia Proserpina inter deas faces portantes erat. C. Eur. Phaet. frg. 781: σὺ δ' ὦ πυρὸς δέσποινα Δήμητρος κόρη. Sane anceps erat Proserpinae natura, cum et juvenilis Cereris filia et dira Plutonis conjux haberetur, sicut Plutonis mitis est natura apud Hesiodum Op. et d. v. 465. C. Preller Mythol. 612. Aliis nomina Περσεφόνη, Περσεφόνεια originem duxisse videbantur ex πέρθειν et ΦΕΝΩ secundum analogiam verborum φασσοφόνος θηροφόνη, Γοργοφόνος, ac sane quidem apud Homerum Proserpina est dea terribilis et funesta, ita Il. IX, 456 ἐπαινή; Odyss. X, 494; XI, 212; 225, itaque veteres superstitione quadam ducti, cum infelix nomen pronuntiare vererentur, pro hoc trita et laeta voce κόρη utebantur. C. Plat. Crat. 404, c. Duo illi ex interimendi verbis origini obstant, primum prorsus mirum esset, si lingua eandem notionem bis in voce repeteret, ubi primo loco objectum verbi φένειν desideraretur, c. φασσοφόνος ἐλλοφόνος, Γοργοφόνος, nam quid Περσεφόνη esset, nisi „interimens interficiens?" neque magis pro πέρθειν κείρειν, quod Welckerus I, p. 393 profert, conveniret. Quis deinde totam de Proserpina fabulam complectens in ea tantum diram Homeri deam cognoscit? Imo vero Schilleri ingenium in notissimo illo carmine rectius fabulae sensum perspexit. Proserpina, quae auctoribus schol. ad Pind. Ol. VI, 93 et Strab. VI, 256 etiam lucis dea colebatur, cujus sacra et festa Paus. II, 35, 3—7 describit, Jovis et Cereris, vel coeli humidi et terrae fecundae filia est, vel fructus terrae, καρπὸς ἀρούρης. Sane plantarum germina auctumno in terram recipiuntur atque ad inferos, ut ita dicam, descendunt, sed etiam verno tempore ad laetam lucem proveniunt, itaque solius mortis dea Proserpina vel Κόρη Graecis non fuit. Quae cum ita sint, circumspiciendum est, num alia etymologia inveniatur. Welckerus de φέρειν vetustiore nutriendi sensu cogitat et σ ortum esse, ut in ἀκερσικόμης, ἔγερσις, ἔνερσις. Sed hoc non convenit, si alterius partis φόνη originatio a φένειν retinetur; imo vero formas Φερσέφασσα, Φερσέφαττα a

poetis occupatas secuti nomen a radd. *ΦΕΡ* (*φέρειν*) et *ΦΑΩ* (c. *φάσμα*) ortum esse statuimus, ut Proserpina antiquissimis temporibus dea lucem ferens, plantas ad lucem provehens fuerit, id quod deae luciferae cultu supra commemorato optime comprobatur. Postea vero primaria notione obliterata *Φερσεφόνεια Περσεφόνη* nomina ex *Φερσέφασσα* orta sunt, ubi interimendi notio praevalere videbatur.

Verbis *ἀριστεύοισαν ἀφνεαῖς κ.τ.λ.* poeta haec sibi vult: annuitque ei capillis Jupiter, se Siciliam opimam frugiferae terrae praestantem aucturum opulentis urbium fastigiis. Supplendum igitur est ad *ὀρθώσειν ἑαυτόν*, cum subjectum Jupiter sit. *Κορυφαὶ πολίων ἀφνεαί* sunt proprie *κορυφαὶ πολίων ἀφνεῶν*, ubi significantius adjectivum cum substantivo regente, non pendente conjungitur, ut Ol. VIII, 80: *συγγόνων κεδνὰν χάριν* pro *κεδνῶν*. C. etiam Ol. VII, 4. *Κορυφή* saepe apud Pindarum summum omnique numero perfectum fastigium significat, ita Ol. VII, 4: *πάγχρυσον κορυφὰν κτεάνων*, vel *παντὸς ἔχει κορυφάν, ἐν κορυφαῖς ἀρετᾶν* Nem. I, 34.

V. 16 Pindarus pergit: „addidit vero ei Saturnius populum belli studiosum aere armati equorumque peritum, simul etiam Olympiadum aureis olearum foliis ornatum.“ *Μνηστῆρα* schol. recte explicat: *μνήμονα πολέμου, ἐπιστήμονα, οὐκ ἀμελοῦντα τῶν πολεμικῶν*. Comparetur Hom. Il. IV, 328: *μήστωρες ἀΰτης*, nam vox *μνηστήρ* hoc loco non proci sensum habet notissimum, sed a *μιμνήσκεσθαι* ortum; ita *εὐκλεᾶ μναστῆρ' ἀγώνων* Pyth. XII, 24. Nostro loco adjectivi „memor“ sensum habet, ut apud Nonnum invenitur: *εἰλαπίνης μνηστήρ* pro *μνήμων*. *Ἵππαιχμος* alias non legitur, sed de notione dubitari nequit, praesertim cum schol. explicet: *ἱππαιχμίαις εὐδοκιμεῖν*, pugna equestri excellere. Atque jure Pindarum praestantem Siciliae equitatum laudare Thucydidides testatur VII, 20: *ἵππους τε πολλοὺς κέκτηνται*. Denique versuum 16 et 17 verba conjungenda sunt: *λαὸν ἵππαιχμον πολέμου χαλκεντέος μναστῆρα*.

Θαμὰ δὴ καί a Dissenio vertitur: „saepe etiam“ quod mihi jure a Boeckhio improbari videtur. Tum enim nimis dissolute et laxe diceretur: *πολέμου μναστῆρα λαὸν ἵππαιχμον θαμὰ δὴ μιχθέντα* et *δή* molestum esset, neque enim legi potest, ut unus scholiasta vult: *πολέμου μναστῆρα λαὸν ἵππαιχμον θ' ἅμα δὴ καὶ κ.τ.λ.* Imo vero adverbium *θαμά*, quod omnino frequentiam sive eodem tempore accidentem sive variis temporibus repetitam significat quodque a Suida *συνεχῶς, πυκνῶς, διηνεκῶς*, ab Hesychio *θαμινά* explicatur, apud Pindarum fere *ἅμα* adverbii munere fungi statuendum est. Ita a Boeckhio recte sine dubio Ol. VII, 12 pro *θ' ἅμα* restitutum est: *ἀδυμελεῖ θαμὰ μὲν φόρμιγγι παμφώνοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν*, ac simili modo Nem. II, 9: *θαμὰ μὲν Ἰσθμιάδων δρέπεσθαι ἄωτον ἐν Πυθίοισί τε νικᾶν* „simul pulcherrimam Isthmiorum coronam carpere et in Pythiis vincere.“ Pyth. XII, 25 pro vulgata *λεπτοῦ διανισσόμενον χαλκοῦ θ' ἅμα καὶ δονάκων* ex optimis libris scribendum est *θαμὰ καί*, nec minus Isthm. II, 11: *ὃς φᾶ κτεάνων θαμὰ λειφθεὶς καὶ φίλων* pro *θ' ἅμα*. Aliis locis ut Ol. I, 17: *ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν*, Pyth. III, 78: *μέλπονται θαμὰ σεμνὸν θεόν*, Pyth. IV, 40: *ἦ μάν νιν ὤτρυνον θαμά*, Nem. V, 37: *θαμὰ νίσσεται* al. sensus „crebro“ per se patet.

Sequentibus construendum est: *μιχθέντα φύλλοις χρυσεοῖς ἐλαιᾶν Ὀλυμπιάδων*. *Μίγνυσθαί τινι* ex notissimo Pindari usu dictum est pro „bene versatum esse in re,“ de quo Eustatius disserit ad Il. p. 382: *ἰστέον ὅτι Πίνδαρος ζηλώσας νίκῃ μίγνυσθαι λέγει τὸ νικᾶν καὶ ἔργῳ μίγνυσθαι*

τὸ ἐργάζεσθαι καὶ ἕτερα τοιαῦτα. Ita Ol. I, 22: κράτει προςέμιξε, Nem. II, 22: στεφάνοις ἐμίχθεν, Isth. II, 29: τιμαῖς ἐμίχθεν et in nostro carmine infra v. 12: θάμβει μιχθείς. Φύλλοι χρύσεοι sunt oleastri folia, notissima victorum Olympiae praemia, quae non aurea vocantur, quasi corona ex aureis foliis facta, vel corona oleagina auro ornata fuisset, ut Boeckhius adnotat ad Ol. X, 13: χρυσέας ἐλαίας, nam talis corona στέφανος θαλλοῦ χρυσοῦ vocatur aliasque ut Ol. III, 13 poeta γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας dicit, sed oliva aurea vocatur ob arboris dignitatem atque honorem. C. Nem. XI, 28: ἀνδησάμενός τε κόμαν ἐν πορφυρέοις ἔρνεσι et Pyth. X, 40: δάφνᾳ τε χρυσέᾳ ἀναδήσαντες κόμας. Ἐλαίας Ὀλυμπιάδων Pindarus commemorat, quia variis temporibus Siculi Olympiae coronas tulerunt, ut Hiero Ol. 73 et Gelo auctore Paus. VI, 9, tum etiam Ergoteles Himeraeus, Agesias Syracusanus, alii a Pindaro laudati. Itaque Timaeus erravit, qui schol. secutus hoc carmen Olympicum esse contendit, nam Ὀλυμπιάδες non ad Chromium sed ad alios referendae sunt.

V. 18. Πολλῶν ἐπέβαν κ.τ.λ. Brevi quadam sententia totam poeta Siciliae laudem amplectitur, quae propter concinnitatem aliquam secum fert difficultatem. Quaeritur enim primum, quid sit πολλῶν ἐπέβαν, tum quid καιρόν et cui conjungendum, denique, quid verba significent: οὐ ψεύδει βάλλων. Ἐπιβαίνειν proprie est conscendere, insistere rei, sequente genitivo vel accusativo, unde redundat latior versandi in re, tractandi notio, ut nostro loco et Odyss. XXIII, 52: εὐφροσύνης ἐπιβῆτον. Καιρόν non solum temporis momentum, opportunitatem, sed etiam quod res aliqua habeat laudandum significare Dissenius contendit, sed hujus notionis exempla vix afferantur; sane quidem καιρός nonnunquam verti potest „emolumentum," ut Soph. Phil. 151: τὸ σὸν φρουρεῖν ὄμμα ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ, vel apud Demosthenem: μάλιστα δ' ἐπὶ καιροῦ τοῦτο γένοιτ' ἄν, sed hoc semper tamen ex notione temporis justi, opportuni proficiscitur. Deinde Dissenius conjungit: πολλῶν ἐπέβαν καιρόν, vertens: multarum laudum copiam attigi, non locutus mendacia. Hoc loco libenter concedo, absolute dici posse βάλλειν, ut Isthm. I, 24: ἀκοντίξειν αἰχμαῖς, vel Odyss. V, 121; Thuc. IV, 43; Pind. Ol. XI, 55, saepeque Pindarum jaculandi imaginem ad verborum aciem transferre, ut Ol. II, 83: πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντί φαρέτρας, sed καιρός nunquam significat laudarum copias. Jam καιρόν posset dici pro „κατὰ καιρόν" ut apud Soph. Ant. καιρὸν ἐφήκαις, quod jure cum Dissenio improbandum est, cur enim nunc maxime Siciliae laudes cani oporteat, alio tempore non liceat? Etiam, si καιρόν pro justa occasione accipimus, sensus profecto jejunus oritur, itaque alii junxerunt: καιρὸν οὐ ψεύδει βαλών, sed num dici possit: opportunum tempus non mendacio feriens, etiam magis quam Dissenius dubito. Accedit denique, id quod Dissenius neglexit, quod ἐπιβάλλειν attingendi notione nunquam cum accusativo, sed semper tantum cum genitivo invenitur. Quae cum ita sint, non, ut Diss. opinatur, ejus explicatio satis defensa, sed aliud circumspiciendum est. Neque medela huic loco deest, nam Aldina cum c. Med. A. et Paris. B. pro βαλών exhibet λαβών, quae variata mihi nullo modo spernenda videtur. Lego igitur prorsus Aldinam secutus: πολλῶν ἐπέβαν, καιρὸν οὐ ψεύδει λαβών, quod optime unius scholiastae verbis firmatur: πολλῶν ἐπέβην ἐγκωμίων, οὐδαμοῦ τῷ καιρῷ πρὸς ψεῦδος χρησάμενος, nam participium χρησάμενος non vocis βαλών sed λαβών paraphrasin esse quis est quin intelligat? Sic sensus ex nulla parte non aptus oritur: „multa attigi opportuno tempore non ad mendacia usus," vel positive: justo tempore ad veras et justas

laudes sumpto. *Καιρὸν λαβεῖν* saepius hac notione legitur, velut apud Aesch. Sept. 65: *καὶ τῶνδε καιρὸς ὅστις ἐστὶν λαβέ*, Lys. XIII, 6: *καιρὸν εἰληφέναι ἐνόμισαν.*

Primo systemate quum universam victoriae ludicrae laudem poeta amplexus sit, quo ordine sententiae sint positae accuratius videamus. Instituit carmen a sacrosancta Ortygia, quae etiam Chromio cordi erat; quodam modo ipsam Dianam hymni testem et praestitem invocat, tum carminis causam commemorans Chromii victoria se ad canendum incitatum esse profitetur. Ex consuetudine sua deinde quasdam sententias inserit: non magis virtute quam deorum ope haec victoria reportata: profecto hac fausta fortuna summum gloriae est captum certaminumque magnorum Musa libenter recordatur. Jam vero altiore volatu Pindari ingenium contendit: ipsam Musam alloquitur, jubet eam hac unius Siculi laude totam insulam illustrare, nou minus vetustam quam Ortygiam deorum sedem. Jupiter Proserpinae promisit Siciliam opibus, bellica et ludicra laude abundaturam, ita hanc victoriam quasi veteris cujusdam oraculi finem proponit: Chromii victoria antiquitus a diis provisa est, itaque victor divino, ut ita dicam, lumine circumfunditur. Versus 13—19, hoc Dissenio concedo, quodam modo totum carminis argumentum amplectuntur, sed altiore quodam gradu, itaque hic de Sicilia locus explicatio sententiarum: *ἀρχαὶ βέβληνται θεῶν* et *ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον* est. Haec mihi magis poetae ingenio convenire videntur, quam quae Diss. exponit, qui tantum Chromii virtutes cum Siciliae praestantia componi statuit. Invidiam vero, qua sane Chromius laborabat, id quod infra patet, tollere certe hoc loco poetae in mentem non venit, nam propter hanc victoriam ei nondum invideri potuit, cum prima esset.

Altera carminis parte reliquae Chromii virtutes praedicantur, ac primum quidem hospitalitas, nam civium chorus ad Chromii vestibulum stat carmen ludicrum canens. *Αὐλεία θύρα* est porta vestibuli exterior testante Harpocrat.: *αὐλεία θύρα ἡ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ πρώτη θύρα τῆς οἰκίας.* Quum Pindarus prima persona *ἔσταν* loquatur, Boeckhii opinio accipienda est, poetam tum temporis versatum fuisse in Sicilia, nam prima persona non solum chorum cantantem, sed etiam poetam ipsum amplectitur.

V. 21. *Ἁρμόδιον δεῖπνον*, vel ut Suidas interpretatur, *ἀρεστός* est coena jucunda, bene composita, itaque conveniens, ita Pyth. IV, 122: *ξεῖνὶ ἁρμόζοντα τεύχων.*

V. 22: „simul etiam domus exterorum hospitum non expers est," unde aperte patet Chromii hospitalitas etiam Nem. IX, 2 collaudata. *Ἀπείρατος* est inexpertus, qua in voce ambigua est vocalis *α* quantitas. Ita paenultima anceps est Ol. VIII, 61: *κουφότεροι γὰρ ἀπειράτων φρένες* et X, 18: *μηδ᾽ ἀπείρατον κακῶν*, ubi tamen correptio veri est similior. Contra producitur nostro loco et Isth. III, 59: *τῶν ἀπειράτων.* Tantum Ol. VI, 54 syllaba correpta opus est: *βατίᾳ τ᾽ἐν ἀπειράτῳ.* Boeckhius n. cr. ad Ol. VI, 24 hanc formam litera *α* correpta a *πειράζειν*, litera *α* producta a *πειρᾶν* derivat, cui mihi jure Lobeckius Pathol. I, p. 371 repugnare videtur; primum enim Boeckhius non bene contulit Ol. I, 28: *θαῦμα τὰ πολλὰ*, quod cum Diss. melius *θαύματα* scribitur, tum etiam alia est ratio adjectivorum *ἄφρατος, ἄγατος*, cum jam in *ἔραμαι ἄγαμαι* litera *α* corripiatur. Imo Pindarus Ol. VI, 54, cum paenultimam productam versus abhorreret, vocalem *α* corripuit, ut Sophocles Electr. v. 162 eadem de causa *τὸν ἀνήνυτον οἶτον κακῶν* pro homerico *ἀνήνυστος* occupat.

V. 24. Pergit poeta: *λέλογχε ἀντίον κ. τ. λ.*, in quo non minus verborum sensus quam ordo obscurior primo obtutu est. Schol. Aristarchi auctoritate seducti interpretantur: *πέφυκε τοῖς μεμφομένοις τοὺς ἀγαθοὺς οὕτω τήκεσθαι, ὥσπερ ὑπὸ πυρὸς ὕδωρ*, id quod cum a verbi *λαγχάνειν* notione, tum a sensu, qui hoc loco postulatur, prorsus alienum est. Itaque Hermannus conjungit: *λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ κάπνῳ ἀντίον φέρειν* „nactus est adversus obtrectatores viros probos ad aquam fumo obviam ferendam;" sed *μεμφομένοις* pro „contra obtrectatores" minus perspicuum est, ideo melius cum Boeckhio construendum: *λέλογχε φέρειν ἐσλοὺς μεμφομένοις ὕδωρ κάπνῳ ἀντίον*, nam infinitivus post *λαγχάνειν* Dissenium offendere non debebat; c. Arist. Nub. 624; Herod. VI, 109; Plato Gorg. 473, e. Itaque *ἀντίον* etiam ad *μεμφομένοις* referendum, nam ut saepius apud Aeschylum strophae, ita hic verba ita sibi respondent:

μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ κάπνῳ,

neque tamen opus cum Matthiaeo *ὥσπερ* supplere, difficultas enim inde tantum oritur, quod res ipsa et imago confunduntur. *Κάπνος* est hominum malignorum invidia explicante Plutarcho frgm. XXIII, 2: *τὸν φθόνον ἔνιοι τῷ κάπνῳ εἰκάζουσι· πολὺς γὰρ ἐν τοῖς ἀρχομένοις ὤν, ὅταν ἐκλάμψωσιν, ἀφανίζεται.* Atque Chromio, cum apud Hieronem gratia multum valeret, invisum fuisse per se satis est credibile.

V. 25. *Τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι.* Dissenius in Boeckhii editione majore haec verba tantum ad corporis et animi praestantiam atque artes refert, sed verba: *ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα* ad varia hominum studia et bona et mala referenda esse demonstrant, id quod in minore editione idem comprobat, nam *τέχνη* vox media et bona ars et mala est. C. Didymum in scholiis: *ἀκουστέον τοὺς δόλους.* Jam talia fere poeta sibi vult: aliorum sunt aliae artes: mali invidia, prudentia et fortitudine tu vales; oportet autem recta via incedentem naturae vi contendere. *Μάρνασθαι* a *μάρη* ducendum secundum schol. Guelph. ad Eur. Hecubae v. 1038: *μὰρ ἡ χεὶρ κατὰ Δωριεῖς, ἐξ οὗ καὶ μάρπτω* et schol. ad Il. XV, 137: *μάρη ἡ χεὶρ κατὰ Πίνδαρον*, unde *μάρπτειν* et *μάρνασθαι.* Itaque hoc verbum non idem significat quod *μάχεσθαι*, ut Aristarchus contendit, sed ut Didymus *ἐνεργεῖν καὶ πραγματεύεσθαι*, vel manu contendere, unde fit, ut apud Pindarum de ludicris certaminibus usurpetur, ita Ol. V, 15; Nem. V, 47; Isth. IV, 54. *Φυή*, proprie corporis statura apud Pindarum totam hominis indolem significat, ut Ol. II, 86 et IX, 107: *τὸ φυᾷ κράτιστον*, neque igitur accipienda Matthiaei explicatio: certari cum indole vel luctari cum natura, nam tum potius *πρός* praepositio exspectaretur. *Φύσιν* vero naturam bonam esse rebusque honestis studentem et vitiis tantum contaminari satis comparet, itaque scholia secuti interpretamur: *χρὴ καθ' ἣν γεγέννηταί τις φύσιν, ταύτῃ ἀκολουθεῖν καὶ μὴ βιάζεσθαι αὐτὴν εἰς ἄλλα τρέποντα, μηδὲ κ.τ.λ.* Similes sententiae etiam apud alios scriptores passim exstant, ut Arist. Vesp. 1432 et notum illud apud Cic. Tusc. I, 16.

V. 26. *Πράσσει γὰρ κ. τ. λ.* *Πράσσειν* hoc loco intransitivum est notione agendi, valendi, se prodendi, neque vero ut schol. opinatur, idem atque *συμπράσσειν, συνεργεῖν*, nam sensus est: vis et robur opere se prodit, (unde *φυᾷ* studia praeclara significari patet,) consiliis vero mens. Verba sequentia construas: *οἷς συγγενὲς ἕπεται, ἐσσόμενον προϊδεῖν*, cui naturae indole datum est, ut futura provideat. Neque enim omnes, nec maligni et calumniatores quid tempore futuro

utilitatem et gloriam sit allaturum, provident. *Συγγενές* est natura hominibus innata ut Nem. III, 38: *συγγενεῖ δέ τις εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει,* Nem. VI, 8; Ol. XIII, 13; Aesch. Agam. 806: *παυροῖς γὰρ ἀνδρῶν ἐστιν συγγενὲς τόδε.*

Universe quae ex consuetudine Pindarus judicavit, jam ad Chromium ipsum transfert, illi quoque utriusque rei usum inesse exponens: „Agesidami fili, etiam in tua vita et moribus horum et illorum (fortitudinis et prudentiae) usus est." Pronominis *σύ* genitivi tres formas poeticas Pindarus habet, *σέο, σεῦ* contractam et *σέθεν,* sed ita, ut *σέθεν* praeferat apud tragicos poetas usitatissimum. Particula *δέ* hoc loco non offendit, cum saepius apud poetas demonstrative occupetur in allocutionibus particula *μέν* non praecedente, de qua re accuratius disserit Boeckh. not. cr. ad Ol. XIII, 109.

Ad v. 30 Dissenius dicendi formam *τὰ καὶ τά* aliis locis apud Pindarum non „haec et illa" sed „varia, bona et mala" significare, ut Pyth. VII, 22, Isth. IV, 52, Ol. II, 53, Pyth. V, 31 recte admonet, nec minus cum eo Welckeri sententiam rejicio, qui *βουλάς* pro vaticiniis accipit, unde sensus contortus nec satis concinnus oritur, neque enim operi et viribus vaticinium sed prudentia opponitur. De Tiresiae enim oraculo infra demum sermo est.

V. 31. Laudata Chromii et fortitudine et prudentia Pindarus pergit: „non cupio, magnas domi divitias absconditas habere," quibus verbis minus illum, ut liberaliter amicos excipiat, hortatur, nam de hoc jam supra dictum erat, quam propter benignitatem collaudat. Sed quae ad illum vertit, de se ipso profitetur, sui animi et studia et mores cum illo consentire ostendens. In quo prima persona utitur, ut Pyth. III, 110: *εἰ δέ μοι πλοῦτον θεὸς ἁβρὸν ὀρέξαι, ἐλπίδ' ἔχω κλέος εὑρέσθαι.* Suavior enim minusque molesta cohortatio vel admonitio est, si hortans de se ipso dicit. C. Nem. X, 39: *ἀξιωθείην κεν, μὴ κρύπτειν φάος ὀμμάτων* pro *ἀξιωθείης·* Pyth. II, 96: *ἁδόντα δ' εἴη με τοῖς ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν,* quod etiam Hieroni dictum vult et Ol. III, 45: *κεῖνος εἴην* pro *εἴης.* Prima persona etiam in sententia generali est, ut Pyth. II, 84: *ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι,* quia omnes ita facere solent.

Nota est Graecorum constructio, qui praedicati loco pro verbo finito ejusdem participium cum verbo *ἔχειν* ponunt, sed ita, ut modo praedicatum copiosius circumscribatur, velut apud Sophoclem: *σοῦ ἔγωγε θαυμάσας ἔχω τάδε* pro *ἐθαύμασα,* vel apud Euripidem: *ἑνὸς μόχθου σ' ἀπαλλάξας ἔχω* pro *ἀπήλλαξα,* modo possessio constans ac diuturna significetur; ita Sophocles dicit: *τὴν ἐμὴν ἀδελφὴν γήμας ἔχεις,* i. e. nupsisti et etiam nunc habes, vel apud nescio quem poetam gnomicum in nostri fere loci similitudinem: *κρεῖττον ἐμφανὴς φίλος ἢ πλοῦτος ἀφανής, ὃν σὺ κατορύξαις ἔχεις.* Nam etiam nostro loco interpretandum est: nolo diutius abscondere occultasque tenere. Forma *κατακρύψαις* proprie pindarica est, nam poeta constanter participii flexionem *ᾱς* natam ex vetustiore *ανς* in *αις* vertit exceptis verbis in *μι,* quamquam in carminibus Olympicis codices fere omnes formas in *ας* exhibent. C. Boeckh. Praefat. I, 32 et 33.

V. 32. *Ἀλλ' ἐόντων κ.τ.λ.* Dubitari potest, quomodo haec verba sint conjungenda et quid significent. Primum enim quaeritur, sitne *ἐόντων* absolute positum, an cum *ἐξαρκέων* conjungendum an cum *παθεῖν.* Heynius, quem Dissenius in Boeckhii editione sequitur, cum *ἐξαρκέων* conjungit, „liberaliter inde largiendo" vertens, id quod mihi propter verborum collocationem prorsus rejiciendum videtur; neque excusationi est Dissenii interpretatio, *ἐόντων* in principio poni propter

antecedentia, ἐξαρκέων in fine propter sequentia, nemo enim si „χαριζόμενος παρεόντων“ haec verba significarent, tam late divelleret. Boeckhius ἐόντων mavult absolute accipere, cui impedimento est, quod etiam si divitiae absconduntur, tamen exstant. Quid igitur reliquum est, nisi ἐόντων cum εὖ παθεῖν conjungere, ubi sensus aptissimus oritur, dummodo ne εὖ παθεῖν cum Heynio de victoriis reportandis accipiatur. Sane ita apud Pindarum legitur Pyth. I, 99: τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων pro: „res gerere feliciter“ et Isth. IV, 15: εἴ τις εὖ πάσχων λόγον ἐσλὸν ἀκούσῃ, aliis vero locis ut vulgo „bene se habere, valere, felicitate frui“ significat, ita Pyth. III, 104: χρὴ πρὸς μακάρων τυγχάνοντ᾽ εὖ πασχέμεν. Nostro loco ἐόντων εὖ τε παθεῖν conjungendum esse optime Theognidis locus adumbrat v. 1009, (non v. 108, ut Dissenius opinatur): τῶν αὑτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν, ubi εὖ πάσχειν ut verba fruendi cum genitivo construitur. Insequentia ita construamus: καὶ ἔραμαι εὖ ἀκοῦσαι φίλοις ἐξαρκέων. Εὖ ἀκούειν est bene audire vel bona fama in hominum oribus ferri, ut Isth. IV, 15: λόγον ἐσλὸν ἀκοῦσαι, atque saepius apud Pindarum εὖ πάσχειν et εὖ ἀκούειν „bene et honeste vivere et audire“ opponuntur, ita Pyth. I, 99: τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων, εὖ δ᾽ ἀκούειν δευτέρα μοῖρα. Vox ἐξαρκεῖν proprie significat sufficere, itaque cum sit intransitivum, cum Dissenio αὐτῶν supplere non licet, nec non aptus sensus oritur interpretantibus nobis: bene audire volo amicis sufficiens, satisfaciens, i. e. benigne permittens divitias meas. Paulo amplificatior est notio Ol. V, 24: ὑγίεντα εἴ τις ὄλβον ἄρδει ἐξαρκῶν κτεάτεσσι, sibi sufficiens vel satis instructus opibus. Itaque cum verbum ἐξαρκεῖν nunquam transitiva communicandi notione inveniatur, non dubito, quin unus locus ab interpretibus perverse explicetur. Apud Xenophontem in Memor. II, 4, 7 verba sunt: πολλάκις δέ, ἃ πρὸς αὑτοῦ τις οὐκ ἐξειργάσατο ἢ οὐκ εἶδεν, ἢ — ταῦτα ὁ φίλος πρὸς τοὺς φίλους ἐξήρκεσεν. Non explicandum est: haec amicus amicis copiose praebebat, sed: in his amicus amicis satisfaciebat. Jam singulis explanatis scholiasta locum nostrum bene ita circumscribere videtur: οὐκ ἐπιθυμῶ κατακρύψαι θησαυρὸν, ἀλλὰ παρόντων τῶν ἀπὸ τοῦ πλούτου θέλω καὶ εὖ παθεῖν καὶ εὖ ἀκοῦσαι ἐξαρκῶν τοῖς φίλοις.

Priorem carminis partem hisce verbis Pindarus absolvit: κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ᾽ ἐλπίδες πολυπόνων ἀνδρῶν. Dissenius in Boeckhii editione rem multis verbis versat, sed vix dubitatio de sensu oritur. Ἐλπίδα Plato Legg. 1, 644, c. explicat δόξας μελλόντων, ὧν κοινὸν ὄνομα ἐλπίς, est igitur ut spes vox media, omnino rerum futurarum exspectationem modo laetam modo tristem significans. Cur igitur disputemus, utrum hoc loco spes an metus sit vertendum, cum jam schol. rectum viderit: αἱ γὰρ ἐλπίδες καὶ αἱ μέλλουσαι προςδοκίαι κοιναὶ καὶ ἄδηλοι τοῖς ἀνθρώποις εἰσίν. Πολύπονος est multum laboris habens, laboriosus, sed vix ullo loco tantum de hominibus strenuis dicatur, sed semper fere simul inest aerumnarum notio sortisque humanae imbecillitas atque inconstantia. C. Aesch. Sept. 1005: ἰὼ πάντων πολυπονώτατοι, Suppl. 382: φύλακα πολυπόνων βροτῶν, Eurip. Orest. 175: νὺξ, ὑπνοδότειρα πολυπόνων βροτῶν. Itaque vertendum: communes enim veniunt spes et metus hominum aerumnosorum. Ad sensum etiam conferas Nem. VII, 30: ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται κῦμ᾽ Ἀΐδα, πέσε τ᾽ ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα. Si quis cum quibusdam hanc admonitionem a laeta Pindari musa abhorrere vereatur, vix Pindari carmina accurate legit. Denique reliquum est, ut universam sententiam paucis amplectamur. Poeta praeter Chromii victoriam imprimis liberalitatem cum in amicos, tum in se ipsum laudibus effert, omni-

bus enim, qui futura caveant, cum animi fortitudine etiam providentia opus esse: etiam tu, inquit, hac et illa uteris; non cupimus divitias abscondere, sed praesentibus frui amicisque eas communicantes laudari. Nec inutilis haec providentia, quis enim scit, cum nobis sit communis rerum futurarum ignorantia, an cras contra calumniatorum malignitatem fido nobis opus sit amico?

Sequitur carminis altera pars mythologica de Herculis pueri virtutibus rebusque gestis et de Tiresiae vaticiniis heroem in coelum evectum perpetua felicitate fruiturum esse praedicentis. Ante omnia quaerendum est de fabulae vi et proposito, sed de hoc melius infra disputabitur, postquam singula perscrutati sumus.

V. 35: *ἐγὼ δ' Ἡρακλέος κ.τ.λ.* Sicut omnino Pindarus ad novum aliquid velut ad fabulam transgressus amplum verborum nexum evitat, ita saepius pronominibus orationem instituens particula *δέ* pergit. C. Ol. VI, 12: *Ἀγησία, τὶν δέ,* Ol. IX, 21: *ἐγὼ δέ,* Ol. XIII, 49: *ἐγὼ δέ,* Pyth. IX, 103: *ἐμὲ δέ.* *Ἀντέχεσθαι* cum genitivo est adhaerere alicui rei, (schol. *οὐκ ἀφίσταμαι* interpretatur,) tum translate: „equidem memoria teneo Herculem," ut Herod. 1, 134; VII, 54. *Πρόφρων* est libenter, animo propenso, ita saepius apud Pindarum Pyth. V, 107: *θεὸς πρόφρων τελεῖ,* Pyth. IX, 68: *δέξεται πρόφρων* et adverbio Pyth. II, 16: *προφρόνως ἐφίλασε.* Herculis praeclara facta semper tenenda esse poeta etiam Pyth. IX, 87 jubet: *κωφὸς ἀνήρ τις, ὃς Ἡρακλεῖ στόμα μὴ παραβάλλει.* *Κορυφαὶ μεγάλαι ἀρετᾶν* non simpliciter sunt magnae virtutes, ut Dissenius explicat, sed summum fastigium, corona, unde fit, ut *κορυφή* saepius certaminum victoria sit, ita *ἀέθλων κορυφάν* Ol. II, 14; *ἱππίων ἄθλων κορυφάν* Nem. IX, 9; *ἐσχάτων ἄθλων κορυφαῖς* Nem. X, 32. Pro *ἐν κορυφαῖς* Bergkius in Pindari edit. versu illo conjecit: *ἐκ κορυφαῖς,* ubi conjungendum et construendum esset: *κορυφαῖς ἀρετᾶν μεγάλαις ἀρχαῖον λόγον ἐξοτρύνων.* Profecto quidem sensus oritur aptissimus: „fastigio virtutum priscam fabulam excitabo," ac saepius *ἐξοτρύνειν* invenitur, ut Aesch. Sept. 674, Eur. Suppl. 24, sed tamen nolim hoc loco recedere a librorum scriptura. Fortasse eo, ut *ἐκ* conjiceret, vir ille doctus adductus est, quod verba: *ἐν κορυφαῖς κ.τ.λ.* etiam ad Pindarum referri possint: „in fastigio versatus," sed huic loco simillimus est Nem. VIII, 48: *χαίρω δὲ πρόσφορον ἐν μὲν ἔργῳ κόμπον ἱείς,* ubi *ἔργον* est Deinidis victoria, tum etiam schol. *ἐν* legunt: *τὸν λόγον ὄντα ἀρχαῖον τὸν ἐν ταῖς μεγάλαις τῶν ἀρετῶν* et seqq.: *ἐν ταῖς κορυφαῖς τῶν ἀρετῶν.* Vertamus igitur: in magnarum virtutum fastigio, (laudanda victoria praeclara) veterem fabulam revocans. Dissenius *κορυφάς* non in victoriis curulibus memorari opinatur, cui etsi Herculem non victoriae curulis causa, ut infra videbimus, commemorari concedo, tamen oppono Nem. IX, 9: *ἱππίων ἄθλων κορυφάν.*

V. 35 *ὡς ἐπεί* libri exhibent, quod Boekhius, cum nec structurae convenire videatur, nec a scholiis agnoscatur, cum Hermanno in *ὡς ἄρα* correxit. Sane structuram offendi voce *ἐπεί* concedatur, cum infra v. 37 *ὡς* sequatur, de quo seqq. disputabitur. Scholiastae legisse videntur *ὥςπερ* et infra *ὥς τε,* quod cum metro respuitur, tum omnino minus sensui respondet. Boeckhius etiam alteram conjecturam *ὥς τ' ἄρα* proponit; alii conjecerunt: *ὥσπερ ἐκ σπλάγχνων,* ubi *ἐκ* supervacaneum est, vel *ὥς ποτε* non magis apte. Omnino nihil hoc loco commutandum arbitror, nam primum in conjectura *ὡς ἄρα* vel *ὥς τ' ἄρα* particula *ἄρα* prorsus nullam vim habet, nam non conferendus est locus Nem. V, 30: *ψεύσταν δὲ ποιητὸν συνέπαξε λόγον, ὡς ἄρα νυμφείας*

ἐπείρα — εὐνᾶς, nam hic ἆρα est „profecto" particula affirmativa, ἄρα vero particula copulativa „igitur," nostro vero loco ἆρα scribi non posse metrum docet. Sane quidem ἆρα apud poetas, etsi Hermannus Praef. O. C. p. XVI ss. hoc negat, saepius = ἄρα est, sed nunquam ἄρα, quod nostro loco tantum affirmare possit, vim particulae ἆρα habet. Accedit, quod ἄρα difficilius ex ἐπεί oriatur. Porro non scribere licet ὥς τε et v. 37 ὥς τ' οὐ, nam hae sententiae non eandem vim habent atque Ol. XIII, 75: ὥς τ' ἀνὰ βωμῷ θεᾶς κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος, ὥς τέ οἱ αὐτά — ἔπορεν δαμασίφρονα χρυσόν. Primum enim Herculem simul cum gemino fratre ad lucem editum esse narratur, tum a Junone statim animadversum esse, sed alterum multo majoris momenti est, itaque sententiae non particula copulativa, sed temporali conjungendae sunt: „simulatque natus est, in Junonis invidiam incidit," nec video, cur non aptissime ἐπεί locum habeat. Construendum est: Herculis mentionem faciam, ut, simulatque Jovis filius serenam in lucem partum evadens cum gemino fratre productus sit, ss.

Αὐτίκα non ad facilem partum pertinet, ut Ol. III, 41: ἦλθεν ὑπὸ σπλάγχνων Ἴαμος ἐς φάος αὐτίκα, nec de valido puero partus dolores celeriter superante cogitandum, sed quam celeriter a Junone conspectus fuerit, exponitur: „vix uterum reliquerat, quum non effugit Junonis oculos." Ἐπεὶ αὐτίκα est „ut primum, simulac," vulgo ἐπεὶ τάχιστα, ἐπεὶ πρῶτον. Σπλάγχων ὑπὸ ματέρος conjungas: ὑπὸ ματέρος σπλάγχνων, ex matris utero. Σπλάγχνα proprie sunt viscera, ut saepissime apud Homerum et alios, tum uterus, ita Aesch. Sept. 1022: δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνον, οὗ πεφύκαμεν. Θαητός originem ducit a verbo dorico θάεμαι Pyth. VIII, 45 pro vulgato θεάομαι; transpositis vocalibus ε et α jam forma esset θαετός, sed dorica dialectus saepe vocalem ε in η amplificat, ita apud Pindarum αἰητῶν Pyth, IV, 4, alias αἰετός, αἰνητά pro αἰνετά Nem. VIII, 39. Apud Pindarum, qui vetustiorem fabulam sequi videtur, Hercules et Iphicles eadem nocte nati sunt, contra apud recentiores ut Theocritum XXIX, 2 Iphicles una nocte junior est: καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα, ita enim divina proles jam partus tempore prae humana excellere videbatur.

V. 37 Boeckhius, cum libri exhibeant ὡς οὐ λαθών, postquam ἐπεί in ἄρα mutatum est, scribit ὥς τ' οὐ. Sed supra ἐπεί optimum sensum praebere demonstravimus, itaque particulam τέ hoc loco rejicio, nec minus Hermanni conjecturam οὔτοι ex unius codicis scriptura ὥς του redundantem. Existimaverunt enim homines docti, in his Dissenius in not. crit. ad v. 37, etsi ἐπεί retineatur, tamen post plura verba repetitam particulam ὡς magis orationi pedestri quam poesi convenire. Licet vero talis anaphora alias apud Pindarum non legatur, tamen hoc loco prorsus recte se habet, primum, quod sententia prior magnum verborum numerum amplectitur, ut aliqua pausa post priorem sententiam fieri chorusque paululum possit spiritum ducere, deinde, quod posterior sententia gravioris momenti est, nam major Herculis est gloria, si a teneris unguiculis Junonis insidias superavit. Itaque non opus Hermanni conjectura.

Mira est scholiastae verborum ὡς οὐ λαθὼν κ.τ.λ. explicatio: ὅπως μὴ δονηθεὶς διαλαθεῖν τὴν Ἥραν εἰς κροκοβαφὲς ὕφασμα ἐνετέθη, ac si Hercules, cum Junonis aspectum ferre non posset, in incunabula se recepisset. Imo vero sensus est: „ut non occultus Junoni incunabulis involutus fuerit," vel: „ut, cum modo natus esset, Junonis oculos non effugerit." Pro οὐ λαθὼν ἐγκατέβα fortasse exspectemus: οὐκ ἔλαθεν ἐγκαταβάς, sed οὐ λαθών absolute dictum est, ut

Pyth. III, 27: οὐδ' ἔλαθε σκοπόν et alias. Fasciae croceae vocantur, quod croci color summo apud veteres pretio habebatur nec minoris ut purpura aestimabatur. Ita Pyth. IV, 236 κρόκεον Jasonis εἷμα commemoratur, quod et ipsum κροκωτός appellabatur et in Bacchi cultu usitatum erat. C. de hac re Athen. XII, 519, c: ἐπόμπευον κροκωτοὺς ἔχοντες, XII, 525, c: τὰ δὲ Ἰώνων κρόκινα ὕφαντα. Etiam Pyth. IV, 114 σπάργανα πορφύρεα vocantur. Post ἐγκατέβα non colon sed punctum ponendum est, nam verbis: „ut fasciis involutus fuerit," sententiae ambitus prorsus absolutus est. Ceterum ἐγκαταβαίνειν non sine aliqua vi dictum est, ut Herculis infantis vigor ipsius fasciis se involventis ostendatur.

V. 39. „Sed deorum regina irata statim serpentes misit." Libri exhibent ἀλλὰ θεῶν βασίλεια, quo metrum offenditur, itaque Hermannus nimis audacter conjecit: καὶ βασίλεια θεῶν, Heynius βασίλεα, Boeckhius jure βασιλέα scripsit. A substantivis in ευς exeuntibus feminina in εια derivantur testante Steph. Byz.: τὰ ἀπὸ τῶν εἰς ευς διὰ τοῦ εια παρασχηματιζόμενα διὰ τῆς εια γράφεται καὶ προπαροξύνεται, βασίλεια, ἱέρεια. Jam pro ἱέρεια formae correptae exstant ἱερέη in Callimachi Epigr. XLII, 1 et ἱερέα apud Boeckhium C. I. l. h. 1446. Pyth. IV, 5 libri et scholia ἱέρεα exhibent, cod. A ἱερέα, sed metrum, ut Boeckhius scripsit, ἱρέα postulat ab epico ἱρεύς pro ἱερεύς ortum. Ita hoc loco βασιλέα scribendum, quod trisyllabum legendum est. Nec ejusmodi contractio novi quidquam habet, quia passim synicesi Pindarus utitur, cum in mediis verbis, ut τετράορον Pyth. X, 65; νεαρά Pyth. X, 25; ἀέκονθ' Ol. XI, 39, tum in terminationibus εω, velut ἀργυρέῳ Ol. IX, 34, πορφυρέῳ Nem. IX, 28; εος in Ἡρακλέος Pyth, X, 3; et εα in Πυθέᾳ Isth. V, 55, Νεμέα Nem. IV, 75, διαπρεπέα Isth. IV, 49, γλυκέα Ol. XIV, 6.

V. 40. Σπέρχεσθαι verbum proprie non de vehementi animi affectu dicitur, sed de corporis motu ut Il. XXI, 322, Od. XIII, 22, apud recentiores etiam de ira, ut Eur. Med. 1133; Herod. V. 33 in nostri loci similitudinem. Fabula ipsa notissima est, Junonem ut Herculi insidias pararet, duos serpentes misisse, quos tamen puer manu forti jugulaverit. Accuratius Theocritus rem adumbrat carmine XXIX: τᾶμος ἄρ' αἰνὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος Ἥρη κ.τ.λ. idemque saepe picturis statuis nummis adumbratum est, velut Zeuxis testante Plinio H. N. XXXV, 63 Herculem infantem dracones strangulantem pinxerat Alcmena matre coram pavente et Amphitruone.

V. 41. „Illi jam patentibus valvis in amplum domus penetrale iverunt infantibus celeres maxillas circumdare cupientes." Μυχὸς εὐρύς est scholiasta interpretante τὸ ἐσώτατον τῶν οἴκων, ἔνθα κατέκειτο ὁ παῖς. Ὠκείας γνάθους non ut Dissenius contendit, maxillas celeriter appropinquantium bestiarum adjectivo ad partem pro toto referendo intelligamus, sed malae sunt celeres, celeriter se moventes propter bestiarum aviditatem. Nec magis ἀμφελίσσασθαι ad volubile serpentum corpus quam ad ora referendum vasto hiatu pueros circumvolutura, ἐπεὶ μεγαλοστομώτατόν ἐστι τὸ ζῶον καὶ ὅμοιον τῇ εἰλήσει τὴν κατάπνυσιν ποιεῖ.

V. 44. „Ille autem caput tollens primum pugnas periclitatus est." De Iphicle fratre Pindarus nihil dicit, qui apud Theocritum, ut divini fratris virtus eo clarius fulgeat, vestibus abjectis se dat fugae. Secundum enim Pherecydem non a Junone, sed ab Amphitruone dracones missi dicuntur, ut cognosceret, uter divina esset origine; tum Iphiclem fugisse, Herculem vero serpentes strangulasse. Versum quadragesimum quartum construas: μάρψαις δισσαῖσιν ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς αὐχένων δοιοὺς ὄφιας: „binis manibus suis invictis ad cervices binos serpentes corri-

piens," ubi luculenter contentio chiasmo et verborum brevitate adumbratur. Secundum veterum opinionem inter substantiva ὄφις et δράκων aliquid interesse dicitur, ut ὄφις sit genus, species δράκων; (vid. schol. Eurip. Or. 469,) vel ὄφιν marem dici, feminam ἔχιδναν, Lobeck. Pathol. I, p. 49, sed hoc magis ex subtili grammaticorum distinctione quam ex rerum natura redundare videtur, nam Pindarus δράκοντας et ὄφιας promisque usurpat itemque Theocritus v. 14 δράκοντας et v. 29 ὀφίεσσι.

V. 46. „Strangulatis vero tempus animam efflabat ex nefastis membris." Tempus angues consumebat, nam cum Hercules eos firmiter teneret, ipsa angoris continuatio eos exstinguebat. Sane hoc dicendi genus minus usitatum, ut homines docti adnotant, neque tamen a Pindari ingenio alienum, cum vulgo dicatur: ἀγχόμενοι δὲ χρόνῳ ψυχὰς ἀπέπνευσαν, nam ψυχὴν ἀποπνεῖν ipsius morientis est, ut Il. XIII, 654 et absolute Arist. Ran. 99.

V. 48. „Intolerabilis vero terror mulieres terrebat, quaecunque Alcmenae lectum ministrantes circumstabant." Pro βέλος aliquot libri δέος exhibent, quod ex interpretatione in textum irrepsisse satis apparet. Βέλος proprie jaculum jam apud Homerum de acribus doloribus dicitur, ut Il. XI, 269: ὡς ὅτ᾽ ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα et Il. VIII, 513; Od. XX, 305. Nostro loco βέλος minus dolor quam repentinus terror est acriter pectus percutiens, ita βάλλειν saepius Od. XI, 247; Il. XII, 3; Pind. Ol. VIII, 39. Praepositiones saepe a Pindaro ex epicorum poetarum consuetudine a verbo separantur locumque habent ante verbum ut Pyth. XI, 13: ἔμνασεν ἑστίαν τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῴαν βαλών, vel post verbum ut Pyth, V, 16: δόμεν γέρας ἔπι. Γυναῖκες sunt servae, quae Alcmenae puerperium circumstabant ministeria praebentes. Non sine arte et gradatione quadam Pindarus primum ancillas visu terreri facit, tum Alcmena, denique Thebarum cives et Amphitruo ipse suscitantur. Aliter Theocritus rem narrat carmine citato, ubi primum Alcmena strepitu expergefacta Amphitruonem vocat, qui gladio constricto armatus in obscurum conclave irruit servosque vocat, ut taedas afferant.

V. 50. „Jam vero ipsa Alcmena exsilit leviter induta, ut pueris auxilio veniat." Καὶ γάρ nostro loco non ut saepe alias „etenim" vel „quippe" est, neque enim solum sententias annectit, sed etiam aliquam gradationem affert, itaque non cum Dissenio interpretandum: „quippe tanta erat mulierum trepidatio, ut ipsa —" sed: „ut vel ipsa Alcmena succurreret," sicut in noto illo: ξένους ξένιζε, καὶ σὺ γὰρ ξένος γ᾽ ἔσῃ. Insequentibus non conjungendum: ποσσὶν ἄπεπλος, nam ineptum esset Alcmenam cum veste altius adstricta cogitare, sed ἄπεπλος ποσσὶν ὀρούσαισ᾽ construas, neque enim ποσσίν hoc loco oppositionis causa dictum est, ut Ol. XI, 65: ποσσὶ τρέχων — ὁ δὲ πάλᾳ κυδαίνων, imo vero Pindarus epica verborum copia usus ποσσὶ ὀρούειν pro minus perspicuo ὀρούειν dicit. C. Pyth. IX, 26: χερὶ χειρὸς ἑλών et alia. Ἄπεπλος recte schol. explicant, non sine vestibus Alcmenam fuisse, ἀπρεπὴς γὰρ ἡ εἰκών, ἀλλὰ νοητέον, ὅτι τὸν μὲν πέπλον ἔῤῥιψεν, ἐν δὲ τῷ χιτωνίσκῳ οὖσα ἀνήλατο, nam χιτών erat tunica super corpus ipsum induta, qua etiam Alcmena vestita erat, πέπλος vero vestis quaedam amplior totum corpus velans, quae nocte deponebatur. Ita Plutarchus Pyrrh. 17 Spartanorum virgines μονοχίτωνας mulieribus ἱματίοις indutis opponit. Eur. Hec. 928 non accurate μονόπεπλος Δωρὶς κόρα pro μονοχιτών est; c. Androm. 599 et ad rem Athen. XIII, 566, c et O. Muell. Dor. II, p. 261. Στρωμνή stragulum ex participio στρωμένη contractum, de quo mihi non recte judicare videtur Lobeckius Pathol. I,

169. Ille consonantes *μν* ex se nasci ad amplificandas primarias formas arbitratur, ita ex *κρῖ κρῖμνον*, a *μέλος μέριμνα*, a *βέλος βελέμνιον* oriri. Sane quidam *στρωμνή* non ex *στορέμνη* originem ducit, ut in Etym. M. legitur, sed ut schol. Dion. Gramm. 1137 exhibet, quamquam cum accentu perverso adnotat: *στρώμνη, ποίμνη ἀπὸ τοῦ στρωμένη, ποιμένη*. *Ὀξύτονον* esse disertis verbis grammaticus docet apud Cram. Anecd. I, 48: *τὰ εἰς νη μετ' ἐπιπλοκῆς βαρύνεται, ὄρφνη, λίμνη, ἀντιπίπτει τὸ στρωμνὴ καὶ ἰσχνή*. Sed *στρωμνή* ex *στρώνη* vel *στρώμη* ortum esse, id quod Lobeckius contendit, nihil est. Talia enim, ut *στάμνος μέριμνα* non minus participia praesentis passivi sunt, ut latina: lamna, aerumna, columna, alumnus, auctumnus, Vertumnus, Pilumnus. Imperfecto *ἄμυνεν* non defensio ipsa, sed tantum conatus significatur, nam etiam apud Theocritum non ipsa mater pueros defendit, sed Amphitruonem auxilio vocat.

De voce *κνώδαλον* perverse scholiasta disputat, neque enim praecipue beluas marinas significat, (c. Hes. Theog. 582: *κνώδαλα, ἃ ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα,*) nec *παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κινεῖσθαι* derivandum. Apud Hesychium glossa *κνώδη* = *θηρία* est, itaque primaria forma *κνῶδος* statuenda, unde terminatione *αλος* lat. ulus voces derivantur ut *σκύταλον* a *σκύτος, κύμβαλος* a *κύμβος*. Verbi radicem habeo *ΚΝΑ* in *κνάω, κνάπτω*, ita ex *κνάω κναδάλλω, κνώδαξ, κνώδων, κνωπεύς* gloss. = ursus apud Hesych. Ex primaria voc. *α* eodem modo *ω* ortum est, ut ex *ΡΑΓ*(*ῥήγνυμι*) *ἔῤῥωγα, ῥωγάς, ῥάξ* et *ῥώξ* vina bacca apud Dioscoridem; *ὀμφακοῤῥῶγες* pro *ὀμφακοῤῥᾶγες, στρῶμα*, stramen, al. i. g. Radicis notio est terere, inde *κνάπτω* vadere, *κνωπεύς* ursus, *κνώδαξ* dens ferreus in telis, quibus apri feriuntur. Itaque *κνώδαλον* est belua dilanians.

V. 51 dubitari potest de verborum collocatione, vulgo enim scribitur: *χαλκέοις σὺν ὅπλοις ἀθρόοι ἔδραμον*, id quod metro obest, cum *θρ* apud Pindarum syllabam producat et *οι* corripiatur. Alii libri exhibent: *σὺν ὅπλοις ἔδραμον ἀθρόοι*, ubi non minus syllaba *ον* corripitur, itaque Hermannus scribit: *ἀθρόοι σὺν ὅπλοις ἔδραμον*, Bergkius proponit: *ἔδραμον σὺν ὅπλοις ἀθρόοι*. Probo hanc conjecturam, quia *ἀθρόος* semper apud Pindarum *α* producto legitur, *δρ* vero vocem instituens apud Pindarum nunquam, post vocales raro, ut *ε* in *ἕδρα, κατέδραμε* nec sine idonea causa producit.

V. 52. „Amphitruo vero accessit, manu ensem nudum vibrans, gravibus curis percussus. Vox *γυμνός* secundum vacandi verborum analogiam cum genitivo construitur, ita etiam Ol. III, 25: *τούτων γυμνὸς κᾶπος*. *Φάσγανον* ensis originem ducit a *ΣΦΑΓ, σφάζω* cum terminatione *ανον* instrumentum significante, ut in *φρύγανον, φώγανον*; v. Lob. Pathol. I, 177. Primarium est *σφάγανον*, transpositis consonantibus ut in *σφήξ* et vespis, *σφύζω* et *φυσάω, σφάκος* et *φάσκον*.

V. 53 in verbis: *τὸ γὰρ οἰκεῖον κ. τ. λ.* „nam domesticum malum omnia premit“ malim *πάντα* pro neutro quam pro masculino accipere, ita enim omnia atque vel natura ipsa Herculis periculo terreri videntur. Ita etiam Greg. Nazianz. rem intellexisse videtur, qui *τὸ οἰκεῖον πιέζει πᾶν κατὰ Πίνδαρον* refert. C. Paus. X, 22. Verbis illis praecedentia explicantur allata causa ita: mulieres terrentur, advolat Alcmena, nobiles Thebani accurrunt, denique ipse rex adest, nam omnibus hoc malum non alienum, sed ad unumquemque pertinere videbatur.

V. 54. „Statim vero animus doloris expers est alieno in luctu.“ Non licet cum Dissenio conjungere: *ἀπήμων ἀμφὶ κᾶδος ἀλλότριον*, cui *εὐθύς* impedimento est, imo vertendum: statim animus sine dolore est in aliena miseria. Postquam rex in conclave penetravit, non minus immi-

nentis periculi magnitudinem, quam miram pueri victoriam videbat. Itaque stabat stupore et gaudio praefixus. Multo significantior est Pindari quam Theocriti descriptio, apud illum enim pater, quem Pindarus tacitum repletumque timore et gaudio adstantem facit, horrendum clamorem tollit, tum Hercule fasciis involuto in lectum se recipit.

Δύςφορος v. 55 Dissenius mihi satis late explicasse videtur, „gravis" vertens, ut tantum summus stupor, qui paene ferri nequeat, significetur. Imo sensus est: ut primum dracones in puerorum corporibus vidit, stupore simul et intolerabili timore adhaesit, cum vero strangulatos ab Hercule sensisset, gavisus est. *Θάμβει μιχθείς* poetice dictum est, quippe qui quodam modo cum stupore et gaudio coaluisset. C. Ol. XI, 109: *ὥρᾳ κεκραμένον,* Isth. III, 3: *εὐλογίαις μεμίχθαι* et Soph. Ant. 1317.

V. 56. „Videbat enim insolentem pueri audaciam et vigorem." *Ἐκνόμιος* est, quod *νόμον,* usitatam rei naturam transgreditur, *παρὰ τὸ εἰωθὸς γίγνεται,* nec vero a *νομή* vox derivanda, ut schol. vult.

V. 58: „in contrariumque ei dii immortales nuntiorum verba verterunt," nam servi pueros periisse nuntiaverant, jam vero illos servatos, dracones interemptos inveniebat. *Παλίγγλωσσος* altero loco apud Pindarum idem significat atque *βάρβαρος,* nam Isth. V, 23 *πόλις παλίγγλωσσος* vocatur, quae notio hoc loco non convenit, nec magis apta Pollucis interpretatio II, 109 et VI, 164: *δύσφημος, κακόφημος,* vel Hesychii: *παλίγγλωσσος* = *βλάσφημος.* Inusitatam fuisse hanc vocem inde apparet, sed *πάλιν* saepius in compositis vim in contrarium vertendi habet, ita *παλίμβουλος, παλίμβολος* non iterum *βάλλων,* sed *μεταβάλλων, παλίμφημος* „cum alio repugnans," itaque schol. rectum vidit: *ἐναντίον οὖν ἐγένετο τοῖς ὁρωμένοις τὸ ἄγγελμα, ὅ ἐστιν ἐναντιόφημον.*

V. 60. Jam Tiresias vates adhibetur, ut ex hoc miraculo Herculis fata vaticinetur: „jam evocabat Tiresiam vicinum veriloquentem, Jovis optimi maximi eximium prophetam." Amphitruonis *γείτονα* poeta Tiresiam vocat, rex enim Thebis ante Electrae portam habitabat teste Paus. IX, 11 init., tum etiam *ἱερόν* Tiresiae *οἰωνοσκοπεῖον* commemoratur Paus. IX, 16, 1. Deinde in dextra portae parte clarissimum templum Ismenium erat, ubi lapis, in quo Manto Tiresiae filia dicebatur consedisse, monstrabatur. C. Paus. IX, 10, 2 et c. Pyth. XI, 6: *Ἰσμήνιον ὀνύμαξεν ἀλαθέα μαντίων θῶκον.* Itaque etiam aliunde Tiresiam haud procul ab Amphitruonis aedibus sedem habuisse satis constat. Vates ille, cum proprie Apollinis sacris fungeretur, tamen *Διὸς ὑψίστου προφήτης* vocatur, quia a Jove deo maximo etiam oracula redundant, igitur Apollo in Hymno in Merc. v. 532 *ἐκ Διὸς ὀμφῆς* futura vaticinatur. De industria autem poeta Jovem *ὕψιστον* commemorat, quia cum aliis locis tum Thebis colebatur. C. Paus. IX, 8, 3. Tiresiae nomen recte Etym. Magn. 756, 10 a *τείρεα* i. e. *τέρατα* derivat ut portentorum interpretem. Terminatione *εσιος* adjectiva ducuntur ab adjectivis et substantivis ut *ἄπειρος* — *ἀπειρέσιος, θέσπις* — *θεσπέσιος, Ἕλος* — *Ἑλέσιον* Strab. IX. 406. Jam vero in nominibus propriis usitatissima est terminatio *ιας* pro *ιος,* ita *Νικίας* pro *Νίκιος, Ἁγνίας, Κλεινίας,* alia.

V. 61. „Ille vero ipsi et toti cohorti exposuit, quae sit fata ille nacturus." *Στρατός* non offendit, nam saepius, ut latine exercitus pro populo ad comitia convocato, non copias sed omnino hominum confluxum significat, ita etiam Aesch. Eum. 638, 849. *Ποίαις ὁμιλήσει,* i. e. quibus fatis obviam sit venturus, quae sit experturus. *Ποῖος* est pronomen interrogativum, quod

etiam in sententiis relativis exhibetur, (c. Aesch. Supp. v. 514,) ubi contra latini sermonis usum indicativus sequitur, si verbum est praesens aut futurum, de qua re inspiciendus est Kruegerus Gr. Gr. I, 54, 6, 1.

V. 62. „Quot terra, quot mari beluas nefastas occidens.“ Sunt haec verborum: *ποίαις τύχαις ὁμιλήσει* explicatio ex usitata Graecorum constructione pro: *ποίαις ὁμιλήσας τύχαις* — *ὅσσους κτενεῖ*, i. e. *πολλοὺς κτανών*. Quot beluis terrestribus ab Hercule terra sit liberata, satis superque notum, *θήρ* autem *ἐν πόντῳ* schol. adnotante est portentum, cui Hesione a Laomedonte patre exposita ante Trojam ab Hercule eripiebatur. C. Il. XX, 146; Preller. Myth. II, 235; Welcker. II, 760.

V. 66 libri et scholia *μόρον* exhibent, quod sensu caret. Ideo Hermannus pro *νίν* „*ἵν* — *μόρον*“ conjecit, ut sensus esset: tum etiam dixit, hominem aliquem humanitatis expertem ei mortem crudelissimam allaturum,“ quae verba perperam intelligas quomodo ad Nessum referantur. Luculenter eum Dissenius redarguit, nec opus est ejus causas repetere, nam Nessi commemoratio, quae ne perspicua quidem esset, quia non ipse Herculem interfecit, omni ex parte hoc loco indigna est Pindari ingenio, ac ne verbo quidem scholia hoc indicant. Sine dubio Boeckhius recte *μόρῳ* scripsit: „nec paucos etiam homines superbe ingredientes et infestissimos dixit eum morti daturum.“ Etiam Bergkii propositio: *τινὶ στείχοντι* non injucunda, quae scholiastae verbis nonnihil sublevatur. Sed facilius unum *ΜΟΡΟΟΙ* in *ΜΟΡΟΝ* quam *τινί* et *στείχοντι* corruptum est. Dissenii conjectura *ποτ' ἐχθρότατον* supervacanea est, nam quae Tiresias vaticinatus erat, tempore futuro fore quis est, quin credat! nec magis Kayseri emendatio: *πανεχθροτάτῳ* placet, cum *ἐχθρότατος* jam per se vim habeat. Ceterum Dissenius in editione minore ipse *τόν* recte se habere agnoscit, quamquam non bene confert Soph. Oed. R. v. 106: *νῦν ἐπιστέλλει σαφῶς τοὺς αὐτοέντας χειρὶ τιμωρεῖν τινας*, nam ibi objectum *τοὺς αὐτοέντας* est, *τινάς* vero bene apponitur, quod nondum interfectores detecti sunt, tum etiam *τίς* nostro loco non = quidam, sed complures sunt. Imo vero ita se res habet: objectum est *τινὰ σὺν πλαγίῳ* — *στείχοντα:* haec quodam modo in unum coalescunt apposito *τὸν ἐχθρότατον*, non „infestissimos,“ sed „maxime invisos.“ Denique non conjungam, ut Dissenius fecit: *τινὰ ἀνδρῶν*, sed simpliciter: *σὺν πλαγίῳ ἀνδρῶν κόρῳ*, neque dicas *τινά*, cum *θηρσίν* opponatur, minus perspicuum esse, nam solent Graeci, si *τίς* incertum hominum numerum significat, hoc absolute ponere. Referenda sunt verba ad immanes illos, qui non ut bestiae omnino *ἀϊδροδίκαι* erant, sed ut Thesei adversarii innocentibus hominibus dolos et insidias parabant, velut Busiris Phrasium prophetam sacrificabat, de quo v. Preller. Myth. II, 220. *Κόρος ἀνδρῶν* est superba aliorum contemptio, ut Nem. X, 20 subjective *κόρος ἀνθρώπων*, quem homines habent, *κόρος πλάγιος* vero obliqua hominum contemptio, ut Isth. III, 5: *πλαγίαις φρένεσσιν*, cui contrarium est *ἐν δίκᾳ ἔρχεσθαι* Pyth. V, 13.

V. 66 poeta pergit: „enimvero nuntiabat, quando dii in campo Phlegraeo cum gigantibus pugnam essent inituri, sub illius telorum ictu nitidum crinem pulvere contaminatum iri. Spectat oraculum illud ad clarissimam gigantum contra deos pugnam, quibus debellatis novum coelestium deorum genus mundi imperium obtinet. Gigantum nomen ex Hesychii glossa *γις* pro *γῆ* et radice *ΓΑ* derivandum, vel ex eadem radice *ΓΕΝ* vel *ΓΑ* non minus *γᾶ*, *γῆ* ex *γέα* quam *γέγαα* profluxit, nam terra omnium, quae vivunt, mater est; *γάς*, *γάντος* est participium aoristi II, ut

στάς, στάντος, notio vero passiva, ut in *γέγαα*. C. Heriodianum *περὶ μον. λέξ.* 7, 16: *γῆ καὶ γὰς εἴρηται.* Accedit, quod gigantes saepe *γηγενεῖς* dicuntur, ita a Soph. Oed. R. v. 1058; Eur. Phoen. 129, 1131; Aristoph. Avv. 824. Itaque nomen eorum ad effrenatas et immoderatas naturae vires, grandinem, ignes, ventos referendum, quae novo mundi ordine stratae atque compositae sunt, velut Alcyoneus homo grandinis explicatur a Prellero I, 58 et Porphyrion a grammaticis *πυρίπνοος* vocatur. Apud Homerum gigantes propter superbiam a diis interimuntur; c. Od. VII, 58, 206; X, 120; Hesiod. Theog. 185. Cum enim hominum genus imbecillius esset ad reprimendas et moderandas naturae vires, dii ipsi pugnam susceperunt, quae secundum antiquissimam fabulam Phlegrae in Pallene Thracia facta dicitur. C. Aesch. Eumen. 299; Arist. Avv. 224. De campis Phlegraeis vid. Diod. IV, 21. Bello illo praeter alios Jupiter atque Minerva interfuerunt, (Diod. IV, 15 et schol. Nem. 1, 67,) sed etiam Hercules *γιγαντοφόνος* apud Pausaniam III, 18, 7 commemoratur. *Γιγάντεσσι μάχαν ἀντιάζειν* est: gigantibus in pugnam obviam ire, cum *ἀντιάζειν* verbum et cum dativo, ut Pyth. VIII, 11 et cum accusativo, ut in *ἐμὸν λέχος ἀντιόωσα* construatur.

V. 68 structuram in verbis: „tum sub illius telorum ictibus comam humo mixtum iri" non solum duriorem esse vix negari potest, ut scholiasta contendit, sed prorsus sensu carere, si *κόμαν* ad Herculis crines referatur. Semper enim de mortuis talia dicuntur crinibus per pulverem raptis, ut Od. IX, 337; Il. III, 55; X, 427, itaque tela Herculis, crines necatorum sunt.

V. 69 libri exhibent: *ἐν εἰράνᾳ τὸν ἅπαντα χρόνον σχὲν ἀεὶ ἁσυχίαν καμάτων μεγάλων κ.τ.λ.* sed *σχὲν ἀεί* nihil est, nec magis convenit *σχεῖν ἀεί,* cum praedicatum *αἰνήσειν* extremo demum carmine sequatur. Reliqui codices *σχερῷ* habent, unde Hermannus sane jure *ἐν σχερῷ* „continuo" reposuit. Sed numerus in *χρόνŏν* | *ēν σχερῷ* Boeckhio violari videbatur, itaque verba ita trajecit: *καμάτων μεγάλων ἐν σχερῷ* | *ἁσυχίαν τὸν ἅπαντα χρόνον.* Equidem, cum haec transpositio satis violens sit, nihil commutandum esse cum Hermanno arbitror, qui syllabam *ον* in *χρόνον* ictu et caesura produci docet. Atque sane non pauci loci exstant a Bergkio ad Pyth. III, 6: *ἅμερον γυιαρκέων* allati, ita Ol. VI, 103; Pyth. VII, 10 ex Boeckhii conjectura; Pyth. IX, 114; IV, 184; XI, 38.

Absolvitur carmen a Pindaro hisce verbis: „ipsum vero in pace per omne tempus continuo requiem magnorum laborum eximium praemium nacturum felicibus in aedibus, Hebeque juvenili in matrimonium ducta apud Jovem praeclarum domicilium laudaturum." *Καμάτων μεγάλων* non cum *ἁσυχίαν,* ut Boeckhius in notis criticis p. 513 fecit, sed cum *ποινὰν ἐξαίρετον* conjungendum est, id quod in Boeckhii transpositione supra commemorata vix fieri potest. Itaque cum schol. explicandum: *ταύτην ἀμοιβὴν τῶν ἑαυτοῦ πόνων λαβών.*

V. 72: „in felici domo uxorem ducentem pulcherrimam Heben nuptiasque celebrantem apud Jovem Saturnium augustas aedes laudaturum." Non intelligo, cur Dissenius post *δώμασι* comma posuerit, quae vox, ut numerus et sententia docet, cum insequentibus conjungenda, nec minus incommodum post *δαίσαντα* comma est, quod etiam post *ἄκοιτιν* delendum puto. Quod Dissenius ad v. 66 adnotat, tristia a Tiresiae oraculo aliena esse, etiam hoc loco confirmari videmus. Tacet enim ille de funesta Herculis in Oeta monte morte tantum eximia tot laborum mercede commemorata. Hoc naviter actae vitae praemium primum quies erat, nam *καιομένης πυρᾶς νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν ἀναπέμψαι* Apollodorus enarrat, tum vero placato Junonis

odio Heben juvenilem aeternae juventutis deam duxit, quacum apud Jovem ceterosque deos aeterno gaudio et felicitate fructus est. C. Hom. Od. XI, 106; Hesiod. Theog. 950; Soph. Phil. 1413; Ovid. Trist. III, 5, 2. *Ὄλβιος* et *ὄλβος* satis verisimiliter Curtius Etym. Forsch. I, 339 a *ὀλοός* lat. salvus deducit. Vide etiam Suidam s. v.: *ὀλοὸς δασυνομένης τῆς πρώτης συλλαβῆς δηλοῖ τὸ φρόνιμος καὶ ἀγαθός*, et *ὀλοόφρων* apud Apollonium dicitur *ὁ ὑγιεῖς τὰς φρένας ἔχων*. *Ὁλοός* vero pro *ὀλϝος* a radice *ὀλϝ* positum est. *Ἄκοιτις* ex stirpe *KEI*, *κεῖμαι*, *κοῖτος* cum praefixo *ἀ* vel proprie *ἁ*, sanskr. sa, sam = *ἅμα* originem ducit, spiritu aspero in lenem mutato ut in *ἄλοχος* et *ἀδελφός*. *Δαίειν γάμον* „nuptiis frui" ex epicorum poetarum consuetudine dictum est, ut Il. XIX, 21 et Eur. Iph. in Aul. 707. Boeckhius omnibus locis apud Pindarum, ubi libri dativum *Διί* exhibent, *Δί* scripsit, quum semper monosyllabum productum postuletur, contra Bergkius omnibus locis formam *Διί* retinet, quae semper synicesi producenda sit, id quod cum synicesis tam saepe apud Pindarum inveniatur, recte factum videtur.

V. 72 libri *αἰνήσειν δόμον* exhibent, (nam *γάμον*, quod nonnulli praebent, ex priore versu irrepsit,) sed *δόμον* in carminis fine prorsus vi et gravitate caret, itaque apertum est, hunc locum aliquod vitium contraxisse. Bergkius profert *βίον*, quod etiamsi sensum praebet aptum, tamen a librorum ductibus nimis recedit. Imo vero commutata una litera *αἰνήσειν νομόν* (vide, quam facilis sit medela *ΔΟΜΟΝ* et *NOMON*,) non *νόμον*, ut Prellerus Myth. II, p. 258 conjicit, scribendum est. Hoc etiam sine dubio scholiasta legit explicans: *σύννομος ἔσται τοῖς οὐρανίοις θεοῖς*. *Νομός* pro domicilio, regione bene congruit cum Pindari usu, c. Ol. VII, 34: *ἐς ἀμφιθάλασσον νομόν* et fragm. apud Plut. De exsilio c. 9: *ᾧ δ' ἔξεστιν εἰς μικρὰν ἀποβάντι νῆσον οὐ μικρῶν ἀπηλλάχθαι κακῶν, οὗτος ἄθλιός ἐστι μὴ προςλαλῶν ἑαυτῷ τὰ Πινδαρικά, μηδ' ἐπάδων πολλάκις· ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν, ἐᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περιδαῖον.*

Restat, ut postquam singula inde a versu 33 adumbravimus, quid poeta sibi voluerit Herculis in hoc carmine tam copiose mentionem faciendo paucis exponamus. Collaudata antecedentibus Chromii liberalitate, robore, prudentia in fastigio laudum prima Herculis fata amplectitur. Modo enim natus cum in Junonis odium venerit, ab illa serpentes missos esse, quos tamen puer manu forti compresserit. Concurrisse deinde strepitu perterritas mulieres, matrem, cives, Amphitruonem, a quo Tiresias vates sit accitus, ut omnia explicaret. Hunc ille vaticinatus est beluis noxiis terra marique interemptis occisisque hominibus non paucis nefastis pro tot laborum mercede perpetua apud Jovem felicitate fruiturum. Quid sibi haec volunt? Satis superque notum, in omnibus fere carminibus ita Pindarum rem tractare, ut primum victoris virtutem carmine copiosius laudet, tum non minus locos quosdam communes et hortationis et gratiae causa afferat, quam veteris cujusdam fabulae narrationem in carmen intexat. Quoniam vero, quatenus hae fabulae cum totius carminis proposito cohaereant atque conveniant, haud raro satis difficile est explicatu, saepius eo interpretes erraverunt, ut talia aut solum pro inanibus ornamentis haberent, aut ut Dissenius nimis subtiliter et artificiose texturae rationem indagarentur. Improbo igitur eorum judicium, qui tantam digressionem priori carminis parti fere aequalem tantum exornandi causa affixam existiment, neque vero Dissenii opinio prorsus probanda videtur contendentis, hac fabula tantum bellicas Chromii virtutes laudari, cum juvenis apud Helorum praeclara facta ediderit. Argumentum inde sumit, quod cum v. 30 victoris prudentiam poeta probaverit, jam

